Univ. of
Toronto
Library

BINDING LIST AUG 1 5 1922

4720 I

PROLEGOMENA
AD ARISTOPHANEM.

LGr
A716
YL

Aristophanes

PROLEGOMENA AD ARISTOPHANEM

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

LITT. HUM. DR., IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROF. ORD.

164228
22/8/21

LUGDUNI BATAVORUM
APUD A. W. SIJTHOFF
MDCCCCVIII


Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/prolegomenaadari00leeu

Fabulis Aristophanis a me editis supplementum accedit hic tomus. Quo quae continentur haec sunt:

	Pag.
De Aristophanis poetae vita et operibus commentatio	1—167.
Appendix: I. Grammaticorum de Aristophanis vita excerpta	168—179.
II. Grammaticorum excerpta de comoedia	180—202.
De metris ab Aristophane adhibitis	203—223.
Appendix: Metrorum ab Aristophane in fabulis superstitibus adhibitorum conspectus	224—243.
De fabularum Aristophanearum compositione . .	245—258.
De fabularum Aristophanis textu tradito . . .	259—355.
I. De editionibus antiquissimis .	259—269.
II. De codicibus hodie superstitibus	270—279.
III. De codicum ceteris meliorum Veneti et Ravennatis virtutibus et vitiis	280—355.
Index rerum quae in commentariis tanguntur et nominum	357—445.

De Aristophanis
poetae vita et operibus commentatio.

I. De poeta puero.

I.

Regnum Persarum a Cyro conditum polypi instar brachia longius semper protendentis regiones mari mediterraneo adiacentes appetebat. Phoenicia et Aegyptus, Asia et Archipelagi littora septentrionalia, novae semper regiones corripiebantur nec mittebantur correptae. A praeda resistenti elidi aliquot acetabula vel etiam flagellum unum et alterum avelli vix sentiebat monstrum ingenti robore turgens et novas semper vires ex alvo capaci emittens in corporis extrema.

Carthaginis potestas dum crescebat per oras occidentales, orientales in dicionem suam redigebant Persae, — donec obstitit Graecia. Ad Marathonem Darii copias profligarunt cives Athenienses: arcum ibi vicit hasta; non enim erat in fatis ut in Attica dominaretur Hippias regi barbaro subditus regulus. Et decennio post, cum Xerxes rex iuvenis gloriaeque appetens insanam hominum multitudinem effudit in Graecorum terras ut contunderet eorum impudentiam, et sinus Graecos classibus suis obtexit, ne tum quidem obrutae conciderunt civitates foederatae, quarum rationem rex superbus eiusve duces vix ullam habuerant, sed strenue repugnando vires hostium fregerunt.

Fieri posse quod vix quisquam crediderat, factum id erat: Themistocle iubente orientem versus recesserat sol. Stabat

Graecia: fugati erant Medi. Miraculum id et ipsis aequalibus et horum proli videbatur, gentem, quam intra artissimos fines natura cohibuisset, neque opibus neque numero civium insignem, cum populo ingenti et potentissimo — immo cum plurimis populis uni regi servientibus — et pugnare potuisse et victricem e pugna evadere. Herculem Graecum hydra multiceps complecti frustra erat conata; Graeca numina terram suam non prodiderant praedonibus Asianis: ipsa Pallas in eos hastam librarat invictam, Pan dementia eos perculerat, Echetlus rotato vomere straverat acies irruentes. Tales eos ostendebant imagines, quas pingi iusserant cives gratum animum significantes; in Stoa Poecile adspiciebantur dei et heroes iuxta civium Atheniensium duces pro patria pugnantes [1]), et in fano Delphico opus Phidiae Minervam et Apollinem ostendebat gratulantes Miltiadi victori adstanti inter Atticos heroes priscosque reges [2]). Non hominum fuerat bellum illud, ex quo victores evaserant Miltiadis Themistoclisque aequales, sed vera gigantomachia dignaque quae acu picta ostenderetur in Virginis Atheniensis pallio [3]), digna cuius memoria in theatro festis diebus publice celebraretur, utpote vetustum illud bellum Thebanum vel Troianum gravitate longe superans. Innumera agmina militum orientalium a diis Olympiis in Graeciam erant deducta ut strages eorum ibi fieret, ut solum nimis tenue sanguine eorum pinguesceret, ut ruderibus corporibusque consererentur Sepiadis Coliadisque littora. Barbarorum fluctus aestuantes cum Athenarum moenia lignea percussissent, in spumam innocuam dilapsi evanuerant. Asiae ille dominus, intra immensi imperii fines solus liber merisque servis imperans, qui sicco pede transgressus erat maria et per montium iuga classem transmiserat, cum solium aureum in littore collocasset Attico, ex sede gemmis corusca spectaverat naves suas mersas et milites in fluctibus necatos ceu thynnos retibus circumventos.

---

[1]) Pausan. I 15 et 32, V 11.
[2]) Pausan X 10.
[3]) Ar. Eq. 566.

Ceciderat, perierat, ex hominum conspectu sublatus erat exercitus ille, qui flumina siccaverat bibendo nec per capita sed per iugerum quae implebat numerum erat recensitus; ceciderat, ut segetum aristae innumerae sub falcibus messorum. In Persia defensoribus orbata matronae Susianae luxerant filios ereptos, et ipse rex in regiam paternam solus ex ingenti illa strage redierat, furtim nec iam superbus, sed mersus dolore et pudore, inermis et veste lacera.

Sic bellum illud, quo Graeci libertatem asseruerunt, laudibus immodicis celebratum est, non solum in carminibus poetarum patriae gloria elatorum sacroque furore instinctorum, sed etiam in verbis oratorum publicorum et in libris scriptorum, res gestas sermone pedestri enarrantium et nomina loca numeros sedula cura referentium. Vivebant etiam qui in illo bello cum Persis conflixerant — et in fabulas abierant eorum victoriae. Pugnae, quibus barbari ad Marathonem, ad Salaminem et Himeram, ad Plataeas et Mycalen sunt profligati, e rebus humanis erant exemtae, et gloriae meritissimae fulgor aciem oculorum Graeciae liberatoribus adeo praestrinxerat ut a parte patriae omnia in melius mutata se iis offerrent, ab hostium in deterius. Admirabilia quae peregerant viri liberi, cum agminum servilium vim incompositam superarent prudenti consilio et mente interrita, non iam hominum mortalium sed ipsorum caelitum videbantur facinora. Marathonomachi Miltiadei, nautae Themistoclis, Pausaniae milites armati dum in terris etiam versabantur, res ab iis gestae ita exornatae celebrabantur in carminibus et in ipsis civium sermonibus ut pueris succrescentibus vires humanas longe superare viderentur nec nisi a Graeciae numinibus tutelaribus potuisse perfici. En firmissimum fundamentum libertatis: en pignora potestatis futurae. Qui servaverant patriam, etiam in posterum erant servaturi! Non permiserant eam hostibus barbaris: non erant permissuri posthac. Carminis heroici materies inter Graecos factum est bellum cum Persis modo gestum, neque sanctius magisve anxie, quam olim in carminibus Homericis, in illo bello enarrando servata est numerorum et mensurarum

vera ratio, sive versibus id celebraret Choerilus Samius sive Herodotus Thurius oratione soluta. Qui cum Darii Xerxisque militibus Graeci heroes dimicarant, filiis admirantibus simillimi videbantur Herculis Achillis Thesei, et fractum imperium Xerxis tum credebatur cum ad irritum concidisset expeditio ad fines proferendos suscepta. Nempe eminus conspecta non tam ingens quam erat videbatur hydra Asiana, nec satis apparebat quantae etiam essent eius vires, quas Xerxis Mardoniique clades paullulum quidem attrivissent, sed minime absumsissent.

II.

Sic Graecorum virtus quae fuerat assecuta, cum essent permagna, multo etiam maiora sunt habita, ut lascivire et ferocire solet animus populorum in maximo rerum discrimine quid valeant primum expertorum. Sibi et suis diis confidere didicerant et laeta illa confidentia impellebat ad maiora audenda et optima quaevis speranda. At maximum huic spei inerat periculum. Nam firma fidave satis esse nequeunt quae non sunt vera, neque splendida illa poetarum mendacia firmum praebebant fundamentum cui prosperitas futura superstrueretur. Etiam in Graecorum pectore — ut in ceterorum hominum largis naturae donis beatorum — magnis virtutibus magna sociata erant vitia. Fortitudo ibi pariebat contemtum adversariorum; sui iuris ut essent, vicinos aversabantur; libertatis studium non sinebat communi consilio iungi cunctorum vires et opes; laudis amor afferebat invidiam fortunae alienae. Sic factum est ut tela, quae in barbaros fuerant parata, post ingens illud periculum aversum a Graecis in Graecos mox stringerentur, quasi nulla etiam metuenda esset Persia aut Carthago nec quicquam vetaret internis litibus atque discordiis omne iam mentium corporumque intendi robur.

Quippe fieri sic voluerat natura. Quae caelum clarum et apertum Graecis dedit, sed per terras late prospicere non sivit

in locis montuosis collocatos, ubi aër purus et tenuis peperit gentem strenuam quidem et frugalem laborumque patientissimam, sed diremtam in tot civitates quot insulae per sinus sunt sparsae, quot valles inter saltus, quot fluminum ripis adiacent arva feracia. Quarum paucae quaedam ceteras sensim sibi adiunxerunt vel subiecerunt, sed non venit tempus quo et capita illa in unam rempublicam coirent cuncta: ut decrevit eorum numerus, sic crevit aemulatio, donec ceteris potentiores Sparta et Athenae inter se obstiterunt gravissimis discidii causis seiunctae.

Quarum civitatum altera laetius in dies efflorescens, postquam rerum decursus et Themistoclis sagacissima consilia effecerunt ut ad mare potissimum se applicaret, suum mox dominium fecit maris mediterranei partem orientalem, unde opes hausit ingentes, ut Carthago ex occidentali. Metum movebat vicinis et invidiam et odium, sed semper crescebat undique ditata mercatura sociorumque tributis.

Quidni caput Graeciae et mox imperii, cui neque Persae neque Poeni metuendi essent, fieret civitas Atheniensium? Fieri volebat, — fieri poterat, modo non solum per mare sed et in terra firma inter Graecos dominaretur. Id si assequi poterat ut Graeciae praeesset sola, vis omnium unita satis valebat ad hostes propulsandos et libertatem tuendam. Nam aut mari imperatura erat Graecia aut satrapis Persis obeditura; aut ex Athenis mandata ei erant expectanda aut e Sardibus et Dascylio ipsisque Susis; tertium non dabatur, nam proxima insidiabatur hydra Asiana. Aut in maritimam et liberam nationem coituri erant Graeci aut servitutem servituri sive apertam sive fucatam honestoque aliquo nomine obtectam.

Sed frustra operam dederunt Athenienses ut etiam in terra firma fierent superiores et Atticum redderent sinum Corinthium. Ad Coroneam anno 447 in cassum ceciderunt consilia audacia. Iuxta foedus maritimum sui iuris manserunt civitates terrestres: in posterum quoque, ut olim, Dores Ionum aut socii futuri erant aut, si fors id ferret, adversarii.

Immo iam iacta erat alea! Non erat etiam incertum quid anni proximi allaturi essent. Aestus belli Medici si civitates Graecas in unam nationem conflasset, cuius nucleus essent Athenae, splendidam sortem huic genti, cui sordes exussisset ignis calamitatis, promittebant tempora futura: — iam vero non satis valebant hominum consilia quamvis proba atque prudentia, non satis valebat amor fraternus bellive horror, ad prohibendum id quod fieri iubebat dura necessitas, ut serius ocius sumerentur arma ad dirimendam simultatem, quae non posset componi.

Vere tragicum hoc habuit Graecorum fatum, quod in malum iis verterunt praestantissimae mentis ingeniique dotes. Flagrans ille libertatis amor, qui Leonidae armatos Themistoclisque remiges incitavit in acies Asianas nec vinci sivit a regis mancipiis, prohibuit quominus post commune periculum superatum in unam nationem coniungerentur Graeci. Liberi esse volebant, et multae civitates Graecae bella, quorum unum finem propositum sibi viderent cladem et mortem, scientes et volentes inierunt prius quam libertatis aliquam partem missam facerent; sed eos demum vere liberos esse homines, qui iusto tempore et sua sponte sciant cedere, absolutam enim nullisque vinculis adstrictam libertatem deorum esse, non mortalium, id non satis senserunt. Itaque robur illud vegetum, quo repulsa Persia etiam postea fuerat repellenda, absumtum est in civitatum et partium contentionibus sterilibus.

Civitatum et partium. Harum praesertim. Nam quod frustra vires intenderunt Athenienses ut primi fierent inter Graecos ceterasque civitates sibi subicerent cunctas, non durus aliqui fecit casus aut hostis externus, sed ipsorum haec fuit culpa. Ut ipsa Graecia, sic et singulae civitates Graecae bifariam vel etiam in plures partes erant divisae. Priscis recentia, agricolis mercatores et opifices, nobilibus homines novi cum alibi passim erant oppositi tum vero in Atheniensium civitate strenua, dum laeto incremento maior in dies fiebat atque opulentior.

III.

Nusquam vero minus valebant hae contentionum causae quam in re publica Lacedaemoniorum. Quorum sors strictim et eminus spectantibus felix videri poterat, non viris in ipsas rerum causas acutius inquirentibus. Non enim virium aequilibrium sanguinemque bene temperatum sed cerebrum oppressum testabatur lenta pulsatio, qua per illius civitatis corpus propellebatur sanguis. Neque poterat in fatis esse ut illius Graeciae, quae Persas ulterius progredi vetuerat et a maris oris erat repulsura, caput fieret Sparta. Tabescebat haec: haerebant in eius visceribus germina morbi vires sensim absumturi. Per sex iam saecula in Eurotae valle dominati erant Spartiatae, necdum verus populus ex iis prodierat, sed etiam nunc illic in stativis peregrinabantur milites. Non robore aratorum natale suum solum incolentium nitebatur Spartae potestas, sed armis bellatorum non numero sed rei militaris peritia et fortitudine valentium adque praelia semper paratorum. Hi indigenas in terra olim iis erepta mancipiorum contemtissimorum et vix hominum loco habebant, ne tanti quidem facientes quanti pecora; nam bestiis domesticis solet parci, sed helotarum decrescere quam crescere numerum satius videbatur. Qui tandem potuisset fieri ut floreret et augesceret ea civitas, cuius duces anno 424, tum cum bellum gravissimum parum prospere gerebatur, duo milia helotarum in militia nuper strenue versatorum clam et per fraudem turpissimam e medio tollendos curarunt. Placidis verbis rem rettulit Thucydides, utpote minime inauditam crediluve difficilem [1]), et alia huiuscemodi crudelitatis Spartiatarum exempla possunt proferri. Nempe magis metuebant Spartiatae helotas quid armati valerent expertos quam ipsos hostes extraneos. At viros qui fortiter pro patria dimicarunt per insidias necare ubi civibus non solum licitum sed et salutare atque necessarium videtur, ibi instat nemesis;

[1]) Thuc. IV 80.

nam rei publicae praeciduntur venae et humor vitalis diffluit, cum sic saevitur in ipsos regionis incolas. Fieri non poterat ut militibus Spartiatis bello absumtis novi semper succrescerent, nullus enim erat Lacedaemoniorum populus, non erat populi flos aliqui et robur, sed dominorum inclementium pauca milia — quatuor fere fuere tempore belli Persici [1]), duo saeculo sequenti [2]), mille aevo Macedonico — duro servitio opprimebant perioecos iure carentes [3]) multoque etiam saevius proculcabant helotas, perinde atque muscas eos perimentes, si forte viderentur molesti, — et nunquam non molesti videbantur posteri hominum qui cum Atridis Troiam olim ceperant.

Auctoritatis igitur reverentia in Spartiatis erat vere militaris, et mutationum odium iis erat non minus militare; sed non accedebat nova tentandi studium, quod fortium strenuorumque militum praesertim proprium esse solet. Satis beati sibi videbantur Spartae cives, si servare liceret quae olim vi cepissent; nam e statione, quam in regione sua sed vix sua obtinebant, ne pellerentur perpetuo opera erat danda. Itaque singulari cautione undique protecti, ab externis hominibus anxia cura seclusi, sedulo caventes ne novarum rerum notitiam vel studia intra fines suos admitterent perniciem ipsorum dominio allatura, idem censentes mutari quod corrumpi, vitam vivebant severam militum in agro hostili castra occupantium, peregrinos mores et homines peregrinos arcentes, peregrinas regiones neque adeuntes neque mente appetentes, legibus scriptis pecuniaque signata — vitae prosperae atque bene compositae praesidiis — carentes, a mercatura et opificiis alieni, in tuguriis rudi arte confectis habitantes, cena contenti tenui nullamque varietatis habenti delectationem. Militarem vitam vivebant, armorum exercitiis et venationi vacantes semper, bene validi laborumque patientissimi, et tamen — o rerum humanarum mira inconstantia! —

[1]) Octo milia ait Herodotus (VII 234); sed et hunc numerum, ut alios, in maius videtur mutasse.

[2]) Isocr. XII § 255.

[3]) Aristot. Polit. II 6 § 11.

a bellis gerendis alieni. Non gloriae studio impellebantur: bene erat si missos eos facerent gentes ceterae et in sua se regione sinerent imperitare paganis vitae parum humanae nunquam non pertaesis et libertatis quamvis auram avide captantibus. Cultioris vitae curam nullam habebant, ignota reformidantes semper et cum contemtu vere rustico quicquid insolitum esset repellentes, — quippe quibus persuasum esset nullam rerum mutationem meliora afferre posse, periculum autem instare gravissimum si ab institutis patriis discederetur. Ut primum ab eorum finibus recesserunt Persae, Atheniensibus bellum gerendum reliquerunt libentissime.

Non floridi igitur roboris signum erat quies illa rei publicae Lacedaemoniorum atque morum stabilitas, sed torpor dicendus erat potius labantem valetudinem et languorem prodens. Et id quidem certissimum erat, non ab Eurotae ripis venturum esse quod ceteris gentibus Graecis novas vias ineuntibus prodesset. Una Atheniensium civitas habebat quo hostis communis arceri posset et maris dominium Graecis vindicari.

Sed Atheniensium civitas quaenam? nam duae ad minimum erant, prisca et recens. Quinto ante Christum saeculo sic mutatae sunt Athenae ut eruca cum fit papilio. Terrenum imperium abiit in maritimum, et quemadmodum larvae, dum mutatur in animal adultum, cui aliud posthac naturae elementum habitandum erit, artus et intestina alia decrescunt, alia mire augescunt, sic et civitatis Atheniensium partes quaedam marcescere iam coeperunt, quibus tum, cum in terra firma omnis spes erat, salva vita carere non potuisset, aliae in se receptis illarum officiis ut rei publicae corpus nutriri atque moveri et tutari se posset effecerunt. Spartiatae si ea vesania correpti fuissent aliquando ut perioecis atque helotis cunctis ministrarent tela ad propulsandos hostes, proximo die a novis militibus ad unum omnes fuissent obtruncati: Attici vero populi partes illae, quae olim post nobiliores et ditiores latuerant et in expeditionibus terrestribus exigui fuerant momenti, utilissimas se praestiterunt in maritimo bello gerendo et novam inde dignitatem rettulerunt domum.

Non e parva quadam parte incolarum, ut in Lacedaemone, in Attica fiebant milites, sed ex ipso populo; et postquam navigare coeperunt Athenienses et remo potius quam hasta victus est arcus Persicus, belli domique non iam penes easdem atque olim civitatis partes fuit rerum discrimen.

Agricolarum natio Athenienses fuerant hactenus. Non novercam, ut Spartiatae, sed veram matrem habebant suam terram, quae Erechtheum e gremio feraci in lucem emiserat neque eius posteros a gentibus exteris aut subici aut solo natali pelli siverat unquam. Veram iis matrem se praestiterat, non cumulans opibus superfluis sed id quod satis esset praebens. Triticum, luti pinguioris quam quod Attica habet segetem, non ferebant agri, neque uvis generosis rubebant vineae, at praesto erat hordeum cibus simplex viribus sustentandis aptus, erat vinum leve adque curas pellendas idoneum, abunde erat ficuum et olivarum praestantissimarum, quibus alma dea gentem suam bearat, et in soli penetralibus uberes latitabant venae argenti. Ut olim, sic et aevo Solonis et Pisistratidarum in aratoribus αὐτουργοῖς erat civitatis flos et robur, immo ipsam civitatem hi efficiebant. Agri colendi officium viris liberis unice dignum tunc videbatur, qui ad tutanda sua praedia clipeo hastaque correptis strenui concurrebant, si quod ab hostibus instaret periculum. Sed maris domini facti Athenienses cum frumento importato potissimum uti coeperunt nec iam necessarium ad victum quotidianum fuit hordeum Atticum, cum varios undique cibos et nova semper edulia in Piraeum advexerunt mercatorum navigia et multo maiores divitias praebuit artificum industria quam ex metallis Laureoticis unquam protraxissent fossores, terra mater liberis maiora semper appetentibus non iam praebere potuit quaecunque requirebant ad feliciter vivendum neque vita rustica in eodem quo antea fuit honore. In re publica mutata pluris sensim quam aratores fiebant navium et officinarum domini, mercatores et feneratores, et alia amabat aetas recentior quam amaverat pristina.

Atheniensibus novarum rerum studiosis dux et signifer fuit

Themistocles ille, quo maioris ingenii virum Athenae non viderunt. Qui portum ita ut expugnari non posset muniri iussit, ut firmus hic nucleus foret civitatis totam mox Graeciam complexurae. Ante omnia autem Spartam vincendam esse videbat, non enim penes duas gentes esse posse summam rerum; cui officio ut posset vacari, pacem cum rege Persarum esse faciendam . . .

Sed non erat in fatis ut rata fierent ingentia haec Themistoclis consilia. Decennio post pugnam Salaminiam in partium civilium contentione superatus solum vertit ille et in regione longinqua mortuus est exul; neque eius famae pepercerunt adversarii maligni. Cimon tum princeps in re publica est factus, filius eius viri qui ad Marathonem Persas vicerat; stirpe nobilissima hic erat ortus et divitiis pollebat ingentibus, fortis autem erat et generosus, ut pater fuerat Miltiades. Hoc duce neque Spartae adversum est itum neque cum Persis pax est inita: impia nimirum atque scelesta videbantur talia hominibus probioribus quam sagacioribus, qui vel auxilium tulere fratribus Peloponnesiis tum cum cladibus domesticis penitus perculsa Sparta labascebat. Nempe fortuna rem publicam Atheniensium et cum illa ipsam Graeciam liberatura erat aemulo, quo superstite eo quo fata vocabant pervenire non poterat; — sed non siverunt ipsi Athenienses. Cum civibus suis Cimon auxilium tulit Spartiatis helotas nova spe erectos vix etiam cohibentibus... et cum in Lacedaemonem venerunt sospitatores, ut e finibus quantocius exirent mox humanissime sunt rogati. „Tam gratia erat"; fratres Atticos Lacones plus etiam metuebant quam servos seditiosos.

Iamque nemini obscurum esse poterat qualis esset fraternus ille Spartiatarum et Atheniensium amor, qui ne laederetur quammaxime caverant Cimon et qui cum eo faciebant. Ut tauros geminos lento gressu agrum laetorum promissorum feracem sulcantes, sic concordes ire ambas civitates iusserant: at quae rerum decursus ipsaque natura diremerant, conciliari ea inter se nequibant: non proborum sed caecorum hominum erat talia

sociare velle. Non capiebat unum iugum taurum doricum et equum marinum, non eadem erant itinera bigarum Neptuniarum atque boum pedes tarde trahentium.

Ob spretam quam Lacedaemoniis tulerant opem Athenienses Cimoni graviter sunt stomachati, Spartam autem aversati sunt denuo. Sed tempus ad Themistoclis consilia perficienda idoneum praeterierat et frustra biennio post — anno 461 — ad ea redierunt Ephialtes et Pericles. Sui iuris mansit Sparta: a Spartae parte in singulis Graecorum civitatibus sive maioribus sive minoribus etiam posthac steterunt qui antiqua tuebantur, rerum novarum studiosis Athenas suspicientibus oppositi adversarii acerrimi, et in ipsa Atheniensium re publica mansit, quae fuerat, civium Spartae faventium cum partis popularis civibus contentio. Anno 458 aurum Persicum praesto fuit Spartae Athenis insidianti, et ex illo inde tempore stipendia ab Artaxerxe eiusque satrapis certatim flagitarunt Graeci inter se contendentes: non iam turpe aut impium id videbatur [1]). In batrachomyomachiam verterat epos: bello pro aris et focis cum Persis gesto succedebat civitatis maritimae et gentis terra valentis certamen internecivum nullosque triumphos habiturum. Musne ranam morsu oppressurus erat an rana murem aquis mersura?

Ambos inter se colluctantes devoratura erat ciconia. Parte infinitorum thesaurorum, qui Susis iacebant cumulati, uti iam potuerunt Persae ad Graecos in Graecos incitandos, et lubentissime profecto callidissimeque sunt usi, donec longo bello exhaustos tenuerunt, praedam inermem. Athenis autem nobilitas neglecta et aratores egeni a Sparta salutem sperare pergebant. Prisca obtinere et a parte optimatium stare idem quod Spartae favere semper visum est Atheniensibus, Spartam autem insectari id quod cum populo facere novasque res appetere. Discordia animos civium perpetuo rosit et tam penitus infecit, ut qui partis essent infirmioris, ad Spartiatas confugere mallent quam

[1]) Demosth. IX § 41 Herodot. VII 151 Thucyd. I 82 II 7, 67 etc.

cum viris popularibus facere, patriam in interitum ruere facilius ferentes quam novi temporis consilia feliciter ad eventum perduci.

Illorum hominum studia aut aperta aut clandestina Atheniensium rei publicae nunquam non nocuerunt et saepe effecerunt ut caecis erroribus a via salutis discederet. Non externa sed interna fuere vulnera, quae civitati subduxere sucos utque tabe confecta cum tota Graecia periret effecerunt.

IV.

Illis annis, quibus frustra enisi sunt Athenienses ut ceteros Graecos in dicionem suam cogerent et Spartiatarum, quorum dominos futuros se speraverant, socii denuo sunt facti, — tum cum Cimon gloria paterna inclutus vita cessit et Pericles ad summam potestatem honoremque pervenit rex non coronatus, in Atticae aliquo praedio natus est puer, cui in fatis erat ut rerum praeteritarum admirator acerrimus existeret et laudator unus omnium disertissimus; qui civitatis instituta, aequalium mores et studia cum publica tum privata, admirabili arte erat depicturus, ut ex eius operibus immortalibus etiam sera disceret posteritas qualis fuisset Atheniensium illa civitas, cui similem terrae non viderunt.

Sub Atticae caelo aprico Aristophanes puer adolevit inter patris Philippi arva et vineas. Ibi inde a tenella infantia ludorum testes fidas et caras habuit olivas et ficus paternas. Didicit ibi quid laetas faceret segetes, quid vota agricolarum eluderet; consuevit ibi cum variis quae rus et montes habent animalibus, mature cognovit apes et scarabaeos, cicadas et papiliones, varia avium genera et bestiolas repentes. Mustelarum latebras rimabatur, bacas et nuces legebat per sepes et nemora, inter pecora canesque pastoricios lascivus tumultuabatur. Et puerilis aetatis libertate dum perfruebatur crescens poeta inque sano corpore sana mens confirmabatur, magis magisque flagravit amore et admiratione terrae natalis, ex qua gens Attica olim in lucem prodiisset saeculorum primordio, ab Erechtheo et Cecrope aliisque

heroibus plurimis ducta origine. Gloria cumulatum erat nomen Atticum, et Marathone Salamine Plataeis continuatum erat populorum illud bellum avitum, ad quod decernendum Troiam olim petiverat classis Atridarum innumera: Priamus et Hector revixerant in Dario et Xerxe, Agamemnon ceterique prisci aevi reges in Miltiade Themistocle Pausania, et nunc quoque Europae cesserat Asia.

Talia igitur patribus tribuerant numina Graeca, tali eos gloria ornaverant. Maiora sperare Graecos vetabant pietas et modestia: servarent modo parata dignosque se praestarent deorum beneficiis, satis erat; hoc patrimonium haec officia filiis reliquerant Marathonomachi. Quibus officiis ne fierent impares, concordia vere fraterna sociarentur necesse erat: unam familiam aut esse aut fieri Graeciam volebant caelites. Non eadem quidem omnibus Graecis studia, non easdem ingenii dotes tribuerat natura, quae per patriae communis iuga et insulas eos sparserat; sed fratres tamen eos genuerat, et artioribus iam vinculis hi fratres erant iuncti quam aevo Homerico, quo ne nomen quidem erat cunctis commune. Nunc nomen Graecum splendidae laudis lumine suffusum late inter mortales erat conspicuum. Quantilla autem erant quae Dores ab Ionibus distinguebant ad ingens illud discrimen ambos a barbaris seiungens, viros liberos populisque regendis natos ab immensis gregibus hominum Asianorum unius regis voluntati serviliter obsequentium! Concordes modo essent Graeci, felicissimam iis sortem concedebant Olympii, neque fieri poterat ut ab Orientalibus mancipiis opprimerentur cives patriam tutantes. Rixis vero fraternis maxima inerant mala atque pericula. Tum cum Agamemnon et Achilles inter se dissentiebant, Hector sanguine flammisque castra Achiva miscuit et Patroclo mortis causa fuit illorum ira; sed in gratiam postquam inter se redierunt, Asianum regem superarunt. Idem quod hostibus favere est inter se contentiones agitare.

Athenienses autem cur tandem tela converterent in Lacedaemonem Leonidae patriam, firmum illud honestatis virtutisque militaris praesidium, cuius cives licet vario artium disciplina-

rumque cultu non aequarent Athenienses, mentis tamen acumine patriaeve amore iis non cederent!

Tristis haec fuit Aristophanis sors, quod penitus cum persentiret unam esse debere Graeciam, ut libera et a Persis tuta esse posset, non tamen sensit unam fieri non posse nisi Sparta subiceretur Athenis. Pugnare fratres illos iubebat fatum inexorabile: pugnam differre licebat aliquantisper, non licebat perpetuo detrectare; itaque si qui ad ineundum illud bellum cives suos urgebant, non impia malignave levitate impulsi in incerta temere ruebant, sed et suae civitati et toti Graeciae bene volentes operam dabant ut patria quam primum eo duceretur quo vocaret fortuna. At duris inclementibusque huiuscemodi consiliis non erat locus in corde poetae iuvenis.

II. De poeta iuvene.

I.

Contra fatum nulla mortalium praevaluerunt somnia aut vota. Tanta non potuit esse virorum res publicas moderantium prudentia aut benevolentia, non cives tanto horrore bellum impium refugere tantove ardore vitae rusticae quietem appetere potuerunt, quin Atheniensibus adversarii mox obsisterent denuo, quos amicos sibi fore speraverant, Lacones Laconumque socii Corinthii et Thebani. Prius quam pueritiae annos egressus est poeta, tempestatis Athenas obruturae coorta sunt prima indicia ab illa Graeciae parte, ubi Ulixem a Nausicaa beataque Phaeacum gente hospitio exceptum esse ex Homero didicerat. Quinquennio post iacta erat alea et hostium copiae Atticam petebant.

Atrocissimum tunc finem habuit Aristophanis pueritia. Graviora vidit postea atque perpessus est, sed nihil unquam vehementius percussit eius animum quam quae illis diebus adspexit. Maris domina civitas Atheniensium in terra firma contra hostes foederatos non satis valebat, itaque Pericles prudenti consilio cives tum, cum bellum instabat, contraxit intra firma urbis moenia, agros autem hostibus dereliquit praesidiis destitutos. Qui impudentissime illic furere iam coeperunt, odio maligno instincti. Ex Athenarum muris conspiciebantur Peloponnesii eorumque socii planitiem fertilem, quae urbem et Parnethem interiacet, foede vastantes, et cum aliis multis Aristophanes adspexit quae vere novo fiebant illic, ubi puer lascivire fuerat

solitus. Cognatorum amicorumque villae centenae deiciebantur, urebantur, ex hominum conspectu tollebantur! Secta ruebant arbusta et arborum avitarum trunci rugosi, ad irritum redigebatur multorum annorum labor strenuus et futuri temporis evanescebant promissa; flammis absumebatur quicquid reliqui fecisset securis: planities nuda nec nisi ruderibus informibus hic illic distincta iam erat ubi amoenae steterant civium Atheniensium villae frondibus cinctae. In solo favillis obtecto Attica cicada non iam inveniebat ramulum cui insidens solis aestum celebraret renovatum. Quae per pueritiae annos felices diligere didicerat poeta, ipso adspiciente iam delebantur; nullae etiam, nisi forte sub ipsis urbis moenibus, in Cephisi valle erant olivae aut ficus aut vineae, nullae domus aut horrea aut stabula, nullae segetes, nulla animalia domestica, — vastatorum autem praediorum domini ubi erant? Isti homines, qui intra muros tardi oberrabant, ceu pecudes sepimento inclusae, modo tristi vultu humum intuentes, modo oculos furore incensos in hostibus figentes, erantne strenui illi hilaresque, inter quos adoleverat, agricolae? Et haeccine erat Virginis illa urbs, deorum oblectamentum hominumque decus, cuius laudes inde a cunis audiverat, quam puer, nundinarum concionum festorum publicorum diebus cum comes iret patri urbem visenti [1]), impense admirari

[1]) Singulis mensibus aliquoties urbem adibant agricolae, nec dubium quin multi fuerint qui quotidie fere eo iter facerent. Cavendum autem ne ex Euripidis quibusdam verbis, noto fabulae Orestis loco concionem Argivorum ita describentis, ut Atheniensium conciones eum in mente habuisse pateat, efficiamus rusticos Atticos, quo magis essent frugi, eo libentius a concionibus populi se abstinuisse. Ubi in versu

ὀλιγάκις ἄστυ καὶ ἀγορᾶς χραίνων κύκλον (919)

laudatur τῶν χρηστῶν πολιτῶν τις, rure degens et laboribus rusticis intentus, qui tum demum cum res id ferret in urbem veniret, sive concio — ut nunc — illic haberetur, ad quam convenire civium ius et officium erat omnium maximum, sive alias quascunque ob causas. Nam in foro urbano μετὰ τῶν μειρακυλλίων ἐκείνων, quae ex comico (Eq. 1375 Nub. 991 etc.) novimus, tempus terere, id erat τῶν ἀγοραίων ἀνθρώπων, Thersitarum atque Agoracritorum, erat ardelionum inutilium, non virorum proborum atque impigrorum. Non *concionis* igitur priscam vim in Euripidis illo versu habet vox ἀγορά, sed vere Atticam *fori*; ὀλιγάκις ἐν ἀγορᾷ διέτριβε rusticus ille nec fere nisi ad emendum vel vendendum illuc veniebat. Sed populi conciones minime solebat neglegere. — Cf. Ar. Eccl. 300—308.

solebat, celsis templis splendidisque porticibus exornatam, publicis privatisque aedificiis plurimis nitentem laetisque arboribus decoram? Plateaene et fora ista hominibus squalidis oppleta, misera ista multitudo sub dio vel in tuguriis rudi arte confectis degens ubicunque spatii aliquid patebat, male tecta male nutrita et, inclementior cum tempestas ingruebat, inter turriculas moenium rimosaque arcis saxa confugiens, — erantne isti cives Athenienses? — istaene erant Athenae?

Pro bellum impium atque nefarium! En poenam ut gravem, sic iustam, qua caelites affecerant mortales scelestos, qui pacem aspernati in bellum perniciemque et ipsi ruissent et traxissent alios: una iam sontes insontesque opprimebat clades. Habebant Athenienses quod strenuis constantibusque illis ducibus acceptum referrent, Pericli praesertim, qui placidus et benevolus et semper idem inter eos versabatur. Ne digitum quidem transversum a consiliis suis discesserat ille ad bellum avertendum, et foverat potius ignem discordiae quam cavisset ne ingenti incendio tota conflagraret Graecia. Marathonomachos nisi degenerassent filii, non sivissent Aspasiae maritum rem publicam capessere nautica turba popelloque tabernario fretum, novum Pisistratum, quem stulti cives dominum sibi lege creaverant, cui per longos annos obtemperarant Soloneam civitatem turpissime adulteranti et in perniciosissima quaeque vocanti. Praeteriisse credebatur aevum tyrannorum, at mutato nomine redierat. Ad suum ipsius arbitrium populus rem publicam administrare sibi videbatur, sed revera dicto audientem se praestabat mansuetus, quicquid imperabat Pnycis ille Iuppiter verborum fulminibus cives territans, Pericles Olympius, Iunonis impudicae vir et minister.

Sic iuvenis ruris quieti subito ereptus furebat, et calamitates quae tristissimo adspectu animum dolori nondum assuetum passim feriebant non ferreae necessitati sed viris in civitate principibus imputabat, — corde, non capite iudicans. Nempe nullus ei erat rerum publicarum usus, nulla peritia. Neque eius aetatis erat neque indolis, sobrio placidoque iudicio decer-

nere quid patriae prodesse posset, quid nocere. Civium aerumnae et querelae quotidianae stimulabant generosum eius animum neque otiosum assidere sinebant. Nunc, nunc succurrendum erat patriae in perniciem ruenti! Non iam tempus erat expectare quid aliquando futurum esset! Sed succurri quomodo poterat! Utinam aequales ita, ut ipse, sub divo, in ruris aëre salubri educati essent omnes! Utinam ita, ut ipse, agros et silvas, campos collesque Atticos diligere a pueris didicissent: aliter iam sentirent, aliter de rebus publicis decernerent neque suos sibi asseclas nimis patientes haberet Pericles in senatu populive concionibus, non civibus locupletibus imperitaret faex Piraïca! At artem quaelibet disputando convellendi discebat iuventus in sophistarum auditoriis, non discebat illic quomodo fulciri posset civitatis praeclarum aedificium, quod fundamentis suffossis ruinam iam minaretur. In scribarum nationem abierant Miltiadis Aristidisque cives, novi homines rabulaeque forenses inter eos prima tenebant, non bene agendo sed bene loquendo Athenis apprimis studebatur, non manus ibi exercebantur sed lingua... itaque per laetos olim Atticae campos impune iam grassabantur hostes insolentes.

Iuvenem hunc poetam Atheniensibus belli aestu iactatis musae dederunt luctus communis interpretem. Quem incitabant dolor et indignatio, incitabat rerum novarum odium insitum, novi tamen aevi filium et ipsum. Mente acutissima, ingenio feracissimo, facundia inexhausta tuiturus erat pectoris humani iura contra capitis placita severa, non iudex aequus sine ira aut studio de rebus publicis sententiam laturus, sed maxima cum indignatione crimina immodica iactaturus accusator. Apage insanam imperii spem illam tantorum malorum causam! Apage fidem mendaciis virorum popularium nimis diu habitam! Apage praesertim mollem illam civium patientiam stultis malevolisque ducibus non obstantium! Cimon ubi est alter, qui institoribus et scribis in umbracula sua repulsis prisci temporis reducat pacem et nitorem? Felix ille dies quando venturus est, quo falces cudentur ex ensibus, et hastae in corda fraterna nimis

diu libratae vitibus sustentandis inservient in Attica ad novam felicitatem renata? Frondibus colles quando virebunt denuo, canticis messorum et vindemiatorum quando resonabunt?

Quando?...

Proximus annus non pacem sed populatores reduxit in agros Atticos. Per dies quadraginta aurae vernae Atheniensibus intra moenia etiam se retrahentibus non gratum resinae odorem attulerunt renatae frondis nuntium, sed usti ligni acrem fumum et favillas. Et cum hostibus mortalibus ipsa iam numina societatem inierunt ad miseram civitatem perdendam; nam extra muros dum faces et secures denuo saevierunt, in ipsa urbe homines arto spatio stipatos occupavit morbus atrox, qui caeco malo tertium quemque ex iis absumsit, donec luctu impletae sunt totae Athenae et vix inventi sunt qui sepelirent defunctorum corpora.

Tertius secutus est annus calamitatum ferax, et quartus...

II.

Celeriter maturescebant fructus ingenii in urbe malis referta, ut uvae in crasso tepidariorum aëre. Quatuor per annos internecivum Graecorum bellum qui moestus adspexit, quatuor per annos qui ruris spatia aetatisque puerilis libertatem desideravit in urbis luctu mersae angustiis, non puer is est etiam, sed iuvenis. Generosis studiis hic aestuat et quae mente mobili agitat consilia, in civium commodum commune proferre gestit. Tacere, quiescere, peritioribus cedere non sinunt eum amor et odium. Afflictos erecturus est, improbos debellaturus. Omnes intendet vires, ut fratres inter se colluctantes in gratiam reconciliet. Qui statim — sat scit — arma impia sunt abiecturi, si ex saeva hac vesania ad se redierint; nunc enim suae mentis non sunt compotes. Vividis coloribus pictam imaginem eorum oculis obiciet miserae civitatis iustas iam delictorum poenas

luentis, et alteram imaginem Athenarum ad pristinum decus et opulentiam renatarum...

Nempe in poetae pectore innocentia puerilis comitem habuit sagax acumen ingenii vere virilis. Hominum precibus vel iurgiis retorqueri non posse temporis decursum, fugiebat hoc iuvenem superstitione amabili correptum nec dubitantem quin ex aevo praeterlapso peti possent remedia ad sanandam patriam laborantem; sed aevum hodiernum, quemadmodum ex pristino profluxit, sic aevi futuri habere causas et semina, iuventutis igitur educationem esse rem omnium longe gravissimam, quippe qua neglecta neque in altiora eniti neque florere neque tutari se possit civitas, id nihilo minus vivide persensit quam philosophus senectuti propior, qui item suum ducebat prudentiores reddere homines, ut meliores felicioresque fierent; qui operam dabat ut cogitandi artem eos doceret, ut vero perspecto sibimet ipsi temperare discerent et severa disciplina eam felicitatem adipiscerentur, quam non caeca fortuna aut praebet aut aufert, sed ipsi sibi pariunt mortales neque partam amittere queunt, quoniam unicum malum est veri ignoratio.

Sic cum Socrate concurrit Aristophanes. Non tamen socium viro huic maturiori se adiungit adulescens, sed adversarium se ei opponit. Educationi propaginis succrescentis quoniam inest spes civitatis, Socrates cives futuros ab erroribus avocari, vera doceri iubet, spretis vanis hominum commentis. Se ipsos cognoscunto, neque quid alii perhibeant olimve perhibuerint roganto, sed sequuntor quae vera et recta et proba esse sentiant ipsi incorrupto sanae mentis iudicio usi. Falsa et prava ex aequalium mentibus ceu lolium infelix evellit ille, ut melioris doctrinae germinibus ibi fiat locus ad laete procrescendum; vulgares hominum opiniones quam multa habeant stulta et inania, et quantum intersit inter probabilem opinionem certamque scientiam, sedulo demonstrat, ut ad vera sinceraque appetenda excitet auditores...

Sed sapientissimum illum mortalium admirari aut amare qui potest poeta iuvenis? Veram rerum naturam qui appetere potius

quam imaginem a sensibus obiectam, cogitationes mentis supra studia quibus vulgus hominum detinetur evectae qui potest assequi vel etiam velle assequi? Rebus, quas inde a primis vitae annis venerari didicit, quicquid adversatur aut adversari videtur, ei est invisissimum. Fabulosa enim illa regio, per quam lascivire olim solebat ingenium eius puerile, sacrosancta ei mansit et laetorum promissorum etiamnunc videtur ferax. Errorum autem refutandorum illum ardorem, quo flagrat philosophus, ipse aversatur et abominatur; mittere ludibria puerilia nequit, quia non vult, non vult autem quia poeta est et iuvenis, non vir disciplinarum studio longove vitae usu eruditus. Eam quam novit hominum vitam, qua fruitur ipse, toto pectore diligit, nulla eius oblectamenta eripi sibi passurus, nisi invitus. Odio vere puerili odit vomerem, quo sulcatur ager rerum futararum messem laturus, quoniam, glebae dum vertuntur, pereunt flores agrestes, quibus alma natura solum ornaverat, limique colore lurido inducitur solum.

Itaque philosophos vehementer perosus, utpote fabularum tenuium horto amoeno, in quo hactenus habitavit, quam maxime metuendos propter disputandi peritiam et quaelibet in dubium vocandi audaciam, strenue insectatur, ut primum ingressus est viam, in quam vocabat ingenium.

Novo artis scenicae generi ex carminibus ludicris lascivisque facetiis nato Cratinus leges dederat comoediamque aut parem aut supparem reddiderat tragoediae. Maxima iam cum libertate de rebus quotidianis in scena disceptabatur, et in dies maioris momenti videbantur quae illic proferebantur sententiae. Ipse Pericles satis rei publicae periculosam habuit illam poetarum comicorum licentiam quam per annos aliquot lege cohiberet, innocuos tantum iocos in scenam tunc admittens. Mox vero sensit minus nocere ipsius consilia coram populo a scurris dicacibus irrisa quam os civibus occlusum; repressas enim hominum opiniones acriores et vehementiores fieri, vi mox prorupturas, si libere pandi nequeant. Itaque tum, cum bellum est exortum, nulla etiam obstiterunt edicta quominus poetae scenici

libere proloquerentur quid de eo sentirent. In Hermippi Parcis Periclis illa prudentia, quae tanta esset ut ignaviae videretur affinis, acerrime lacessebatur; in Cratini Nemesi etiam Aspasia malignissimis criminibus proscindebatur et belli causa aperte audiebat.

Quibus versibus probrosis dum aurem praebebat Aristophanes iuvenis, spectator inter ceteros cives assidens, laetitia est perfusus et toto animo assensus est viris ingeniosis ridendo sic verum dicentibus. Iamque suam sibi indicatam vidit viam: poeta et ipse civibus laborantibus et errantibus opitulabitur.

Videt etiam fabulae futurae argumentum. Filio civis Attici, novi aevi studiis addicto, opponet fratrem prisca obtinentem, quippe in ruris illa quiete a patre et ludi magistro ita educatum ut ipse est Aristophanes, procul a novis placitis, quibus mens iuventutis urbanae non iam nutritur sed corrumpitur; quibus qui sunt infecti, verba habent potiora quam res, loqui quam agere malunt, et tradita quae a patribus acceperunt, naso adunco suspendunt, solam Rationem novi aevi praesidem colere se professi, revera Persuasioni obtemperantes, cui *οὐκ ἔστιν ἱερὸν ἄλλο πλὴν λόγος*, neque civitati sed sibi ipsis quae profore censeant appetentes. Apage magistros improbos et male sanos cum discipulorum suorum catervis! Caveant iuvenes Athenienses ne ab iis pellecti in perniciem ruant!

Talia poeta et ipse iuvenis mente agitans fabulae condendae fecit periculum. In quo opere dum totus est, musa afflante obliviscitur aerumnarum hodiernarum et felicem se sentit denuo. Emicat ex imo pectore fons ille candidae laetitiae, quem nimis diu obruerunt dolor et indignatio; non severa mente tractat materiem, de qua fabulam scribere secum constituit, sed libere per orbem rerum fictarum lascivit, taediorum quotidianorum umbras aversatus et iocorum lumine quae hilara atque festiva habet sors humana illustrans. Irae quidem et lacrimarum repressarum admixtum aliquid habet risus ille effusus, sed eo modulatior fit eius sonus, altius in aures animumque audientium penetraturus.

III.

Ingenii primitiae, quibus Aristophanes *Δαιταλέας* dedit nomen, magistratui oblatae placuerunt; pectore generoso quae fuderat iuvenis patriae amantissimus, suum sibi locum invenerunt in animo legentium, et magnopere hi delectati sunt oppositione, quae erat inter sophistarum alumnum impudentem et rusticum honestum, quem vita simplex amore priscorum morum et institutorum imbuit. Itaque recepta est fabula, quae cum duabus aliis publice ageretur ludis proximis, sive Liberalia ea fuere, sive, quod vero similius, Lenaea. Venit dies sollemnis, et opus poetae tirocinium ponentis secundum praemium tulit. Laudarunt spectatores quae laudarant primi legentes. Laetum hoc famae perennis initium meruit viri ingeniosissimi primus conatus.

Strenuum socium statim agnoverunt qui prisca Athenis obtinebant, et agnitum salvere iusserunt, in suos ordines eum recipere quam maxime cupientes. Non ut aevi praeterlapsi laudes caneret steriles magistrorumve recentium ineptias castigaret tam ferax ingenium novo huic poetae esse datum: intenderet animum in ea quae maioris aliquanto essent momenti! Viventes vigentesque adversarios, non fictas aliquas umbras, adoriretur! Non diu aut procul quaerendos esse quos invaderet: proximos in ipsa civitate adesse perniciosissimos homines et quovis odio dignos. Facetiarum tela aculeata converteret in civium partem popularem, quae duce venerabili ante duos annos orbata facilius iam vinci posse videbatur quam antea.

Non enim iam inter vivos erat Pericles, qui rem publicam regeret. Quod maturaverat bellum, quia dilatum gravius etiam obfore persuasissimum habebat, id eripuit ei civium favorem, quo uno nitebatur eius potestas. Magistratu est pulsus: multa ei est dicta, ob rationes acceptorum et expensorum non satis accurate scilicet redditas: talia in illo viro, qui per multos annos civitati praefuerat, animi ingrati testimonia edere sustinuerunt Athenienses ira abrepti, et sene tam ignominiose tractato

cum multis impense gavisus est Aristophanes. Iniqui tamen iudicii mox cives poenituit: at hominibus tunc clementior pestilentia eum eripuit inconstantiae populi, pro rebus secundis aut adversis duces modo laude cumulantis modo asperrime criminantis.

Commodo publico quis post eum erat invigilaturus?

Periclem ut summoverent, optimates societatem inierant cum factione ea, quae rerum novarum prae aliis studiosa erat; sed homines, quos aliquantisper iunxerat odium commune, discesserunt ut primum eo quo tenderant pervenerunt, iamque denuo, ut antea, hinc stabant aratores, quibus mera damna afferebat bellum, illinc mercatores, quibus magna lucra; neque alteriutri tantum valebant ut soli rei publicae possent praeesse. Itaque ad partes populares mox rediit rerum summa et Pericles brevi ante obitum revocatus est in locum, unde nuper fuerat depulsus. Iam vero vita functo quis erat successurus? Alter ubi erat Pericles, prudentia et auctoritate et nominis splendore ita ut ille valens, qui firma manu gubernaculum rei publicae tenens inter varia voraginum scopulorumque pericula certum cursum dirigeret interritus, illuc quo tendebat feliciter aliquando perventurus? Per multos annos civibus novas vias tentantibus, ut novam patriae sibique ipsis sortem pararent, dux fuerat vir ille nobilissima gente ortus, priscarum Athenarum propago laude opibusque avitis pollens, acri ingenio praeditus, ore facundo, moribus cultissimis. Quis iam suscepturus erat opus, quod imperfectum reliquerat is, qui regis nomine solo caruerat, auctoritate et potestate vere regia fruens. Ruptum illo mortuo erat vinculum, quo studia viventium cum proxima hominum aetate hactenus cohaeserant: novus populi dux non e nobilitate sed ex ipso populo erat proventurus.

Mercator fuit is qui provinciam Pericli morte ereptam in se recipere sustinuit. Cuius viri cunis non musae gratiaeve adstiterunt, sed genius laboris. Negotia ille curabat, non artes aut disciplinas; honestus erat et strenuus, at idem durus et violentus. Non ille ut molliret iras hominum et studia diversa inter se conciliaret dabat operam, sed odium odio opponebat, minis

Quo absente quae tandem vincendi spes erat ingenti exercitui, qui tum cum praeerat is qui expeditionem suaserat Alcibiades magnorum emolumentorum habuerat promissa! In altero duce iam erant omnia, in Nicia cunctatore illo, qui tantum non vi coactus ingratam provinciam in se receperat; multo enim libentius domi mansisset nunc, perinde atque ante annos decem, cum Cleonem ipsius loco Pylum auxilia ducere iusserat; qui obstiterat iterumque obstiterat ne fieret expeditio, et eam solum ob causam ei praeponi se siverat, quod cavendum sentiret ne iterum officium detrectando in civium contemtum incideret. Hic quam alacri animo in bellum sit profectus quivis intellegit, nec mirum eum audaciae subitariae nihil in consilia sua admisisse, sed id potissimum egisse ut depugnandi vitaret necessitatem, expectando et explorando et deliberando ampliusque deliberando tempus terentem, et quidlibet prius curantem quam id unum quod strenui est ducis, ut re fortiter gesta bellum ad celerem exitum deduceret, — donec exercitus homini meticuloso et sui diffidenti concreditus fato tristissimo periit.

Itaque aestate anni 415 splendida illa classis, qua Athenarum

vehebatur flos et robur, in exitium est profecta. Qui expeditionis suscipiendae fuerat auctor, is perniciem mox ei structurus erat.

II.

Tempore post Niciae pacem proximo poeta noster suis oculis uti tandem coepit in diudicandis studiis et consiliis virorum, in quorum verba iurare nimis diu solitus fuerat iuvenis imperitus. Perventum iam erat quo per decennium cum amicis strenue tetenderat, — at regio illa quam petiverant, utpote laetorum promissorum feracem, aridas tantum arenas praebebat cominus intuentibus.

Fractus non est adolescentis animus, neque id ferebat eius aetas ut vitae taedium eum arriperet, ingenii autem vis poetica etiam est aucta; sed alia mente homines et res patrias conspexit, postquam spem, quam intimo corde per longos annos foverat, abiciendam sensit. Virorum, quos per primam vitae partem plurimi fecerat, quantilla esset sagacitas, quantilla integritas, quantillus patriae amor, nimis clare iam videbat.

Per sex annos, qui intercesserunt inter pacem Niciae et expeditionem Siculam, Aristophanes quas fecerit fabulas nescimus; nam nullas eum fecisse non est credibile. Primum autem cum denuo percipitur eius vox, alius huic est sonus quam tum fuerat, cum aureum aevum pace inita statim adfuturum confidentissime celebrabat. Non iam praesto ei esse videntur remedia, quibus patriae vulnera sanentur, neque ita loquitur quasi rerum futurarum praescia sit mens.

Immo quid cras futurum sit quaerere magis magisque fugit, et patriae metuens plura quam sperans a rebus publicis oculos quantum maxime potest avertit.

Quorsum vero convertat?

Attolle caput, o poeta! Illuc tende aciem, ubi vera tua est patria! Illuc ubi inde a prima pueritia eam quaesivisti inscius. Non in duro huius vitae solo inveniri potuit regio, quam in

somniis tuis poeticis videbas, regio illa beata, ubi habitant pax et felicitas. In mentis dominio erat sita, immo etiam sita est. Nulla ibi vincula, nulla bella aut odia, absunt dolor et pravitas, nullis ibi procellis laceratur veris decus, nec florum splendor uritur hiemali frigore, sed sub claro caelo rident omnia aeterno splendore perfusa. Non mortales autem ibi vivunt: Olympiorum ea est sedes, quam Homerus tuus celebravit; viam ostendit tibi caecus ille aevi vetusti vates. Eum sequere et pervenies quo ille pervenit; liberum ibi et felicem, ut ille, te senties; tibi, ut illi, patet aditus; ibi musa in aurem ei insusurravit quae canenda essent: tibi quoque dabit illa quae canas.

In primo post belli finem qui dicebatur certamine scenico Pherecrates comicus homines quosdam ostendit morosos longinquae alicuius regionis solitudinem appetentes, an forte ibi inveniri posset quies ea, quam non iam praeberet patria. Alia horum vox, alia verba fuerunt atque agricolarum Aristophaneorum, qui anno proximo laetissimis clamoribus salutaverant almae Pacis reditum. Nunc vero eadem mens est Aristophani, quae tunc fuit Pherecrateis generis humani osoribus. Et ipsum iam piget hominum nequitiae malitiae stultitiae; et ipse incorruptos aliquos naturae recessus adire gestit. Moxque ingenii vi procul a civium controversiis et aerumnis abripitur in loca deserta. Sed non in Pherecratis horridam illam regionem pervenit, ubi vita minus etiam quam Athenis vitalis erat, sed in nemorum gremium dulcissimum, ubi sub fronde opaca degit alitum gens hilara. Hos sequitur per prata et arbusta et per aëris spatia immensa libere volitantes. Non bestiarum ferarum hominumve incultorum rauci clamores ad poetam nostrum, ut ad Pherecratis illos misanthropos, perveniunt e silvarum latebris, sed lusciniae avium reginae mollia cantica. In beatam illam regionem perducit cives suos, quos pertaesum est malorum civilium, et ingenii sui alas postquam iis praebuit, novam iis urbem condit in nubibus, procul a mortalibus inter caelum et

hunc orbem sitam mediam. Alitum exinde summa erit potestas: pravitatis humanae est finis.

Etiam deorum est finis. Ne his quidem pepercit poeta res sublimes audacter refingens, sed cum terrae prole et ipsos caelites subiecit potentissimae illi Avium civitati, cuius rex novus Persuasor Atheniensis — nam ex Athenis solis venire potuit quod mundo expediret — sceptro et fulmine ab Iove acceptis, cum ipsa Iovis filia Potestate, virgine decora, init matrimonium, mundi gubernator futurus.

Pompa igitur et cantu nuptialibus hic ludus, ut olim Pax, clauditur; sed fabularum, quarum tam similis est exitus, quanta in ceteris est discrepantia! Tantum enim interest quantum inter iuvenem ad optima quaevis speranda nimis proclivem et virum excussis pueritiae somniis nihil non addubitantem. Pacis poeta in prisca fide firmiter etiam perstabat: poeta Avium non nisi arti suae fidem habet. Septenis annis novari dicuntur homines: hoc certe septennio alius homo factus est Aristophanes. Non iam confidit pacem in terris fore aliquando, non iam persuasum est deos curare sortem mortalium, quae stulte aut prave fiant in melius mox conversuros. In Pacis fine ad homines redibant ubertas et laetitia; agricolarum novo gaudio elatorum catervae Attica rura repetebant, nec non Olympii ex poli longinquo recessu, ubi nimis diu delituerant, in priscas sedes erant redituri, ut ex Iovis regia mundum denuo moderarentur: — in fine Avium postquam et dii et terrigenae Persuasori, rerum novarum auctori, sunt subiecti, pompa nuptialis per aetheris immensa spatia alis vecta hominum oculis eripitur.

Nec non Nubes fabulam, quae tertio ante Pacem anno scenae est commissa, cum Avibus comparasse iuvat. Nam rusticus ille, qui in sophistarum vesanorum umbraculis didicerat Iovem regno spoliatum esse, postquam altis cachinnis ob ineptam impietatem a spectatoribus fuit derisus et ab ipso filio vapulavit, ad saniorem mentem restitutus improbos illos tenebriones cum ipsorum Meditaculo comburebat, pestem generis humani igne repurgans; Avium vero rex Persuasor revera Iovem loco pellit

novus ipse mundi dominus. In Nubibus explodebantur impia aegrae mentis insomnia: ipsas iam nubes habitandas sibi elegit qui primarum est partium.

Fabula igitur amabilis, quae est de Alitum civitate beata, e nubibus suspensa est haud secus atque ipsa horum civitas; non enim subest firmum illud pietatis fundamentum, quo nisus fuerat poeta puer et iuvenis. Innocuo olim ioco ingentem Vinitoris scarabaeum miserat in Iovis aedes vacuas: nunc alius ei est vocis sonus de caelitum familia iocanti. Quae denuo quidem in Iovis aedibus iam habitat, sed non regnat ibi, ut olim; non enim summum etiam rerum moderamen habet Iuppiter: revera nunc ab hominibus impiis de throno est pulsus.

Cavendum sane ne ingenii libere lascivientis facetiae severa trutina expendantur. Non gravis aliqui philosophus morumve praeceptor est is cuius verba percipiuntur, sed poeta, cui non demonstrandi sed iocandi et aliquantisper curarum quotidianarum obliviscendi est studium. Ridetur in pulpito comico, non docetur, neque post fabulae finem spectator ullus, qui quidem sobriae sit mentis, rogabit quam sortem civitas aetheria habitura fuerit. Ludus est urbanus et festivissimus artisque variis donis ornatus: — sed ita iocari Aristophanes ante decem annos de rebus sibi tunc sacris non potuisset. Nunc longa spe deiectus hominum deorumque contemtor evasit. Diagoram sic ferunt ab amicis deceptum cum hominum fide ipsam pietatem abiecisse.

Aves fabula mense Martio anni 414 Magnis Liberalibus data est nomine Callistrati. Primum praemium tulit Comissatores Amipsiae fabula, secundum Aves, tertium Phrynichi Monotropus; in qua fabula primae partes erant alterius cuiusdam Timonis homines perosi et aversati. Cognatis igitur argumentis usi sunt Phrynichus et Aristophanes, sed in materia tractanda alter ab altero quam maxime diversus fuit.

Quae maxima laude digna tunc visa est fabula Amipsiae, nullo vestigio relicto interiit: Aristophanis opus, quod secun-

dum ei est habitum, ad hunc usque diem permansit, plurimos et admiratores nactum et imitatores.

Ecquid huius quoque fabulae, ut Nubium, nimis subtiles nimisque urbanae fuere facetiae quam quae suo statim pretio aestimarentur? Protervosne de rebus publicis iocos et probra acerba in fabula Amipsiana alto plausu acceperunt auditores, in Aristophanea aegre desideraverunt? Quicquid id est, iudicum scenicorum illam sententiam lectores hodierni non possumus non mirari. Nam nullam novimus Aristophanis fabulam, quae oculos auresve maiore rerum varietate potuerit delectare, vix ullam quae tot habeat carmina venusta, tam multa lepidissime dicta, tam multa ingeniosissime inventa. Et caverat poeta ne in similem atque olim errorem delapsus caelicolarum chorum in orchestram induceret tam pallidum quam fuerat Nubium. Alitum haec caterva specie multicolore statim feriebat oculos et animum spectatorum sive cultiorum et artis peritiorum sive — quod vulgi est — insolitum quidvis potissimum admirantium. An laetior figurarum exquisitarum varietas in orchestra potuit exhiberi quam tunc fuit, cum comites illic versati sunt phoenicopteryx roseum collum mire contorquens et upupa cristam superbam attollens et phasianus solis fulgidos colores indutus et tot alii sive peregrini alites sive indigenae! Quam feraci quam mobili ingenio debebantur nuntius ille muros Nubilocuculiae structos referens et Iris novam urbem visens et Prometheus, Timon caelestis, et deorum ad Persuasorem legatio, quaeque de alitibus mundi incolis primigeniis, de alitum civitate in terris omnium antiquissima, de alitibus solis inter omnia animantia liberis et felicibus aut disputabantur festive aut canebantur, tota denique rerum humanarum ex aëre conspectarum imago illa mirifica dignane fuit cui deferrentur secundae? ...

Nae artis consummatae et plus fere quam humanae fuit Amipsiae fabula deperdita, ... aut incredibilis fuit imperitia iudicum, qui mense Martio anni 414 de certamine scenico eam sententiam tulerunt ut Aristophanis Aves fabula deterior esset quam illius poetae Comissatores!

III.

Alcibiadis accusatio turbarum tristissimarum fuit initium. Qui postquam absens est damnatus, — non enim satis tutum duxerat coram iudicibus se sistere, -- libere per urbem bacchata est hominum versutorum impudentia, vulgi erga deos pietate turpiter abutentium ad adversarios opprimendos. Nam sacrilegii crimine cum Alcibiade petiti sunt adolescentes plurimi ex illustrissimis gentibus, quarum soboles per belli varios casus misere erat imminuta. Pietatis videlicet summa Atheniensium fuit laus: quae pietas malorum nunc maximorum extitit causa; nam laete floruit calumnia: ditescebant delatores. Et libertatis amantissimi Athenienses erant: haec quoque eorum virtus in malum iam vertit, ansam enim praebuit nequam hominibus ad inimicos suos proterendos. Iuvenum petulantium delictum, qui tum cum nox et vinum nihil moderabile suaderent a convivio redeuntes baculorum periculum fecerunt in hermis publicis, ita crevit in ore rabularum improborum ut religioni et libertati insidias quasdam strui persuaderetur vulgo civium. Facinus illud ut turpe sic excusabile in rei publicae evertendae conamen vel praesagium — malignene magis an absurde? — est mutatum.

Iamque „sacrilegium et tyrannidem" omnia Athenis resonabant. Nempe tyrannidis invisissimum illud nomen satis valebat ad mentem civium iam per annos complures in Alcibiade alterum Pisistratum veritorum penitus conturbandam. „Deorum „signa per noctis silentium clam mutilata maioris audaciae „habere promissum; Alcibiadem huiusque asseclas, hominum „factiosorum flagitiisque coopertorum manum perditissimam, „id scelus sustinuisse; vi et telis qui hermas petivissent, ipsam „mox civitatem petituros, res humanas aeque ac divinas vili„pendentes"... Nam multitudini imperitae quid non persuadent concionatores improbi, cum ipsius virtutibus abutuntur ad scelesta sua consilia exequenda. Quorum mendacia quo sunt absurdiora et impudentiora, eo facilius fidem inveniunt.

Athenis autem dum discordiae illa pestis saeviebat et in Sicilia militiae robur a Nicia cunctandi arte exercebatur, in Oriente fortuna incautissime est lacessita. Nam inter Athenas et Persiam licet pax nunquam publice esset icta, convenerat tamen ante unam fere hominum aetatem ut missos inter se facerent; Athenienses Cyprum vel Aegyptum aliasve terras regis imperio subditas non petituros, Persas mare Graecum navibus longis non adituros. Quarum induciarum finis tunc fuit; nam Cares cum a Persia descivissent, ab Atheniensibus sunt adiuti. Redintegratum igitur erat bellum Persicum [1]), ... at alter Miltiades vel Themistocles ubi erat?

Etiam ante annos octoginta Athenienses miserant auxilia hominibus Asianis, qui a rege defecerant; quod facinus temerarium ingentis illius belli fuit exordium. Aliter nunc gestae sunt res. Neque enim Atheniensium civitas eadem manserat, neque Persia ea etiam erat quae fuerat sub Dario Magno. Aliis telis atque illius milites nunc utebantur satrapae Darii Secundi; „aurei" autem Tissaphernis et Pharnabazi „sagittarii" assecuturi erant scopum, ad quem ferreae olim cuspides non pervenerant. „Verberonum est auro barbarorum inhiare!" in Acharnensibus fabula clamabat civis ille iustus patriaeque amantissimus: — tales verberones exinde in Graeciae rebus moderandis fuerunt principes. Talis verbero Alcibiades factus est exul, talis verbero fuit Lysander Laco, quem Brasidae consiliorum heredem fecit fortuna; talis verbero fuit Clearchus ille, quem e Xenophontis Anabasi norunt omnes, fuit ipse Xenophon; talis verbero evasurus erat Conon magnus dux, cui ad Athenarum muros restituendos sumtus fecit Persiae rex.

Expeditio Sicula tertio anno postquam coepta est exitum habuit atrocissimum. In oris longinquis maris occidentalis ad internecionem usque deletum esse Xerxis exercitum ingentem olim finxerat Aeschylus, civium victoriam in maius augens

[1]) Andocid. III § 29.

audacissime: copiarum quibus praeerat Nicias ea ipsa sors fuit. Xerxem autem inermem et lacera veste sed vita certe salva Susa remiserat poeta tragicus: dux Atheniensis fato cum militibus suis est extinctus; ex tot milibus civium non nisi paucissimi, quibus caeca fortuna pepercit, domum pervenerunt.

Ultimum Niciae consilium prioribus fuit simile. Nam variis acceptis cladibus postquam vincendi spes abiecta est et parata sunt omnia ad patriam celeri fuga repetendam, tunc, cum castris et classi plurima ab hostibus iracundis instarent pericula neque cunctandi ulla iam superesset opportunitas,... luna obscurata intercesserunt sacerdotes quominus ante ter novem dierum intervallum pararetur reditus. Quem dierum numerum sanctissimum omnino servandum esse et copiis facillime persuaserunt et Niciae religiosissimo mortalium.

Illos dies anxie expectando dum transigebant homines miserrimi, ipsa lux salutis iis et civitati, cuius magna pars erant, est obscurata atque extincta. Nempe quae ultima supererat spes malo se subducendi, eam quominus arriperent obstitit pietas. „Immo veri ignoratio!" ait Plutarchus vel Philochorus: „nam „scire eos oportuit lunae obscurationem hostem petentibus mali „esse ominis, reditum parantibus optimi, quoniam ad elabendum „caligo luce est potior. Utinam Stilbides sacerdos divinandi „peritissimus etiam fuisset superstes!"

Etiam lector hodiernus, dum gravia verba Thucydidis, finem expeditionis infelicissimae referentis, secum perpendit, „veri ignorationem" secum murmurat maestum subridens. Eruditio sophistarum utinam Niciis aliquanto plus profuisset! Nam „deae „per caelum nocturnum vagantis itinera scrutari" ut solitus non esset Socrates, — id quod in Nubibus fabula poeta comicus perhibuit, — at dudum lunae errores pervestigaverant alii, obscuratae autem quae esset causa cuiusvis iam erat scire, qui novi saeculi doctrinam non iocandi tantum haberet materiem [1]).

[1]) Quamquam etiam cultissimis viris quanta harum rerum fuerit ignoratio ostendunt Herodotus (IV 42: „ἐμοὶ μὲν οὐ πιστά") et Thucydides (II 28: „δοκεῖ").

Itaque sacerdoti prudenti haud fuit arduum cavere ne cives caeca pietate abrepti inciderent in priscam illam superstitionem, qua macula orbem lunae obscurans credebatur calamitatis instantis esse umbra. — Stilbides utinam etiam fuisset superstes! Militibus despondentibus facile persuasisset lucem salutis nunquam obscurari iis qui strenue eam appetant.

Aristophanes cum audiret quem vitae finem habuissent copiae Niciae, Niciae illius, quem Athenarum sospitatorem futurum aliquando fuerat confisus, puduitne iocorum, quibus inutilia videlicet studia astrologorum etiam proximo anno petiverat? Tunc enim in Avibus proterve riserat Metonem virum sagacissimum et eruditissimum, astrologiae geometriae architecturae peritum, cui Athenae debebant novum aquae ductum et emendatam temporis computandi rationem. Hic vir cum Alitum viseret urbem sublimem, flagris pulsus altos cachinnos civerat, utpote vesane doctus, orbibus quadratis et rectis arcubus delineandis tempus inepte terens. Nempe geometriae et stereometriae arcana nihil habent quod popellum incultum vel poetas alliciat! Itaque viros doctos aversati sunt cives Nubilocuculiae, ... sed rerum ignoratio et superstitio quorsum ducerent mortales, iam nimis eheu aperte docuerat tragoediae Siculae exitus horrificus.

Ut in Oriente, sic in Occidente imminuta potestate Atheniensium crevit res barbarorum. Optimo quidem iure Periclem olim cives adhortatum, novas res ne prius molirentur quam Sparta esset debellata, docuere Cleonis, Hyperboli, Alcibiadis denique studia ad irritum redacta; sed non omnino temeraria fuerant horum virorum consilia. Qui probe perspexerant Graecos nisi unitos a gentibus exteris tutos non fore, nec nisi in Athenarum civitate peregrinae audaciae obsistendi esse spem; aut Athenas liberae Graeciae caput futuras, aut fictam et commenticiam fore Graeci nominis illam libertatem. Quos recte sensisse mox ostendit rerum in Sicilia decursus; non enim Graecis huius insulae civitatibus profuit Atheniensium clades, sed Poenis. Quatuor annis post Niciae eiusque copiarum interitum Carthago

rediit ad consilia per quatuordecim lustra intermissa. Hannibal Gisgonis filius, Hamilcaris nepos illius, qui anno 480, tum cum libertatis fundamentum Graeci iecerunt, ad Himeram est profligatus, in Siciliam venit ad ulciscendam veterem ignominiam. Selinus florentissima civitas ad internecionem est redacta et deleta, — non enim barbarorum furorem a sociis propulsare potuerunt Syracusani, sibi si cavere possent satis beati. In Himeram nihilo clementius saevitum. Etiam Agrigentum — bis centum milium hominum urbs! — deleta, mox Gela et Camarina. Quamquam trium harum urbium incolae vita certe salva effugerunt, frustra autem a Carthaginiensibus tentatae sunt Syracusae. Huic enim civitati fatum id concessit quod denegavit Atheniensibus, ut iusto tempore inveniret dominum, qui per multorum annorum spatium manu ut dura sic firma refrenaret et eo duceret quo vocabat fortuna. Syracusarum sospitator factus est Dionysius viginti et quinque annorum iuvenis: Alcibiadi iuveni non contigit ut Athenarum fieret sospitator, non enim cives in communia consilia cogere potuit homo inconstans et sui quam patriae amantior. Ad Syracusas autem quae non pertinuit Poenorum saevitia, per ceteram Siciliam late est grassata; nam insulae oram meridionalem totam et septentrionalis partem alteram suas fecere Carthaginienses, et passim per littora rudera fumantia indicarunt viam, qua Graecorum cultus et mores cessere barbaris.

Non inanium profecto somniorum appetentes fuere qui classes Atheniensium in Siciliam miserunt; sed ingentem spem insula illa potiundi, dein Carthaginem debellandi, licet frustra foverint, magnis certe et si fata tulissent salutariis ausis exciderunt. Finem quem petebant, utinam essent assecuti! nam magna voluerant. Nunc iisdem annis, quibus Athenarum potestas, fracta est Siciliae, et Graeci imperii mare Mediterraneum complexuri spes intercidit omnis, nunquam reditura.

Athenienses nuntium cladis Siculae quomodo tulerunt?
Ita ut duobus saeculis postea Cannensem illam cladem Romani.

Incredibili enim ac vere admirabili firmitate animi obstiterunt malorum moli, et vehementius quam militum Nicianorum flebilis interitus apud Thucydidem summa arte enarratus pectus legentium commovent quae idem scriptor simplicibus verbis rettulit de civitate luctu atque terrore oppressa non victa. Tristi famae fides denegata primum; dein, cum nullus etiam dubitandi esset occasio, hinc ira excanduit, illinc obrepsit rerum desperatio; sed mox ad se rediit civium mens, et viribus suis usa cedere noluit, sed placuit ut damna accepta quam celerrime resarcirentur. Temporis autem aliquid ad generosum illud consilium exequendum concessit iis fortuna, quo strenue sunt usi. Quovis enim temporis articulo hostium classis victrix portum Athenarum poterat petere; quem quod non petivit, felix effecit casus, quales nunquam deficere urbem Minervae, cum stultis civium consiliis in ultimum periculum esset adducta, olim perhibere solebat poeta comicus, optima quaevis patriae tunc sperans [1]). — Vacabant navalia? Novarum igitur navium carinae sine mora sunt positae. Vacabat aerarium? At sanctius restabat aerarium illud, quod in ultimos casus seposuerat olim Pericles. Mortui erant nautae Athenienses? Ergo alii sunt conducti et exercitati. Deceleam prope ab Athenis dissitam hostes tenebant communitam? Cautius igitur quam hactenus cives muros suos custodituri erant, non cessuri etiamsi castrensem potius vitam quam urbanam exinde essent victuri. Plurima ad hostem vicinum confugerunt mancipia? Eo minor fuit hominum nutriendorum multitudo, si obsidione urbs includeretur. Defecit Chius, quam ultimam aequo foedere sibi iunctam Athenae habuerant civitatem? Defecere Lesbus et Rhodus et orae Asianae urbes? At stabant etiam moenia Athenarum, et civibus firmiter stabat consilium, si amitteretur etiam quae defectionem minabatur Euboea, mare certe pertinaciter sibi vindicandi.

Haec mens fuit Atheniensibus, — at non omnibus! Nam erant etiam, erant! quibus neque maris illud arbitrium cordi

[1]) Nub. 587.

esset neque patriae prosperitas, suae civitatis imperium populare multo acrius perosi quam hostes externos, quoniam, rerum nisi fieret commutatio, ea pars a qua ipsi stabant inferior erat mansura, neque rei publicae moderandae spem habentes ullam, nisi civitas in terrestre illud dominium, quod olim tenuerat, repressa Spartae iussis fieret obnoxia. His hominibus, qui anno 415 protervorum iuvenum flagitio callidissime abusi ad frangendam potentiam Alcibiadis expeditioni Siculae nervos succiderunt, proximum iam visum est tempus quo ad ipsos res esset reditura.

Nondum tamen id aderat. Creati sunt decem viri extraordinarii, qui caverent ne quid detrimenti caperet civitas; naves autem mira celeritate aedificatae et ornatae cum classe hostium plus semel haud infeliciter dimicarunt, et — quod plus etiam proderat, certe prodesse videbatur, — is qui per proximum triennium nihil intentatum reliquerat ut patriae suae noceret, Alcibiades homo inconstans morumque intemperans cum novis amicis dissensit. Nempe regali hospitio exceptum reginam ad adulterium pellexisse fama ferebat. Ad Tissaphernem Sardium satrapam profectus mox duces classis Atheniensium per litteras et legatos adiit, sperans fore ut horum opera cum civibus in gratiam rediret, dein, si ex exilio revocatus esset, ut Persicis subsidiis pollens victis Peloponnesiis Athenarum fieret tyrannus; etiam Pisistratum exulem cessisse e patria et tamen reducem rerum mox potitum.

Alia sane omnia Atheniensium principibus narravit Alcibiades: patriae denuo prodesse se velle, spem autem esse subsidiis Persicis per ipsum potiundi, amicum enim sibi esse Tissaphernem. Pauci — in his Phrynichus homo versutissimus — interiora eius consilia satis perspexerunt: Pisandro aliisque viris, quorum magna tunc temporis in re publica erat auctoritas, plane persuasit.

Sic civitati infirmatae et inopi insidiati sunt inimici exteri domestici, et verendum videbatur ne dissidiis civilibus consummaretur malum, cuius initium fecissent gladii hostiles.

IV.

Maxima haec Aristophanis est laus, quod tristissimo illo tempore, periculorum cladiumque feraci, non perstitit in rerum publicarum contemtu atque odio, sed rursus, ut aetate iuvenili, conatum fecit patriae malis pro viribus medendi.

Unicam autem patriae medelam etiam nunc habet pacem. Sed pacem suadenti alia iam est vox atque olim fuit. Tunc fidem unice habebat pacis amicis, probos viros hos omnes ratus et Lacedaemonios benevolos. Melius dein perspexit hominum studia et ingenia, neque persuasum etiam habet penes solos Athenienses esse pacis arbitrium. Non iam — ut Dicaeopolis ille — apud cives occaecatos causam agit Spartae inique habitae bellumque perosae, sed contra Spartam et Corinthum et Thebas et suos ipsius cives verba facit pro ipsa Graecia, quae quicquid boni pulcrique habet, belli incendio identidem refocillato absumitur. Graecorum furorem defendit a cultu moribusque Graecorum sive in Eurotae Ismenive ripis sive in Ilissi natorum; a patrum sanctissima hereditate et focis domesticis propellit faces et tela sacrilega. Maius autem mentis robur, quam olim fuit iuveni, est viro quadragenario; qui non in superficie tantum corusca fluvii vitae humanae sed et in firmo eius fundo aciem figens, in rerum varie undantium mobilitate id quod remanet discernere coepit, id quod singulos cum cunctis, cum mortalibus qui fuerunt et cum futuris coniungit, id quod quotidianis quoque vitae casibus suum tribuit momentum, utpote partibus ingentis illius mundi, qui fuit et est et erit. Non quod Miltiades fortis fuit vel quod sagaces fuere Themistocles et Pericles, Atheniensium civitas celeri incremento se extulit inter gentes humanas; sed quod genti Atticae solum natale, ut Antaeo illi, vires praebebat inexhaustas, Miltiades Themistoclesque in victoriam eam ducere potuere. Non quod Cleon aliquis vel Alcibiades mala civibus det consilia, periturae sunt Athenae; sed civitatis si suffodientur fundamenta, mox viri scelesti, sui

quam patriae amantiores, in perniciem eam trudere poterunt et cum Athenis ipsa Graecia submittet caput.

Patriae omnem esse spem in prole recte educanda pridem intellexit poeta, iamque ingentium calamitatum causas dum circumspicit, post pueros considerat matres, et mulieres in hominum atque civitatum sorte quantum valeant melius sentit. Mox autem in artem suam eas introducit. Quae cauponas iurgiosas facilesque tibicinas etiam antea in pulpita admiserat, nec non virgines plus quam humanas, quales erant Pax et Dominatio, Pomona et Laetitia; castas vero puellas et matronas arcere solebat. Neque enim ad fabulas spectandas cives in theatrum secum adducebant uxores vel filias, neque placebant iis Atticae mulieres iocis protervis intermixtae; laedi enim harum famam, si publice multa de iis fierent verba; neque in ficta vitae imagine, quae in theatris exhiberi solet, memoratu dignas videri quae in ipsa vita humiles aliquas agerent partes.

Iam vero insolitam dignitatem atque maiestatem mulieribus praebuerat clades, quae familias Athenienses longe plerasque funeribus contristaverat. Prosperae cum fuerunt Athenae, mulieres non poterant aequis passibus comitari viros celerrime per cultus humani atque civilis viam progredientes; nunc luctu certe viris aequales erant. In Acharnensibus fabula uxor Dicaeopolidis probi viri non nisi per brevem temporis articulum prodibat in pulpitum, ut tacens videlicet praeberet trullam ad pultem hauriendam: nunc proborum virorum filii in oris remotis cecidere plurimi et in fronte matrum sororum viduarum orbatarum conspicitur corona doloris. Noster autem poeta hoc tempore mulieres maiore quam antea in honore habere coepit, et soni insoliti e comico proscenio ad spectatores perveniunt, cum scurra ille, seria agens paullisper et tenerrimo animi affectu abreptus, causam orat matrum de patria optime meritarum, quippe quae filios floridos atque robustos peperierint pro ea morituros, sponsarum maritis prius spoliatarum quam uxores vere se senserint, virginum in domus paternae latebris languentium, dum iuvenes in regionibus peregrinis rem gerant...

Itaque hic quoque, ut in quaestionibus ad iuventutem educandam et erudiendam pertinentibus, comicus concurrit cum viro illo sapientissimo, quem nimis proterve olim riserat, utpote ardelionem vesanum et publico commodo periculosissimum. Nam in vita civium Atheniensium mulieribus locum suum inique denegari, quasi sequioris quam viri essent indolis, dignissimas autem esse quibus plus tribueretur studii atque curae, nam penes illas esse spem aetatis futurae, in deterius vero ruituram rem publicam nisi mulieres pluris fierent et melius excolerentur, — ea omnia Aristophanes non gravi sane sermone et argumentatione arte cohaerenti demonstravit, ut Socrates, sed probe ut ille sensit, neque immerito petulans hic sanctissimi philosophi irrisor a Platone dignus est habitus qui ipsi Socrati proximus adiaceret in Agathonis convivio et per seram noctem cum eo disputaret. Et fabulam exquisitam ei tribuit Plato, quae est de homine perfecto olim, dein a Iove discisso, iamque inquieto per vitam versanti, an alteram sui partem inveniat et cum ea coniunctus perfectus fiat denuo.

„Quem geminum peperit natura, hunc aspera fata
„Divulsere hominem: nunc dimidiatus oberrat:" —

hanc sententiam, quae sexus muliebris decus atque honorem splendide vindicantis est, ab Aristophane poeta comico coram Socrate proferri et defendi finxit Plato.

V.

Duas fabulas anno 411, post cladem Siculam secundo, scenae commisit comicus, incertum quo eventu. Mense enim Februario Lenaeis acta est *Lysistrata* sive Pacificatrix, mense Martio Magnis Liberalibus *Thesmophoriazusae* sive Mulieres Bonarum dearum sollemnia celebrantes. Utraque fabula poeta Avium est condigna, maioris tamen momenti est prior.

Cuius nomen argumenti est instar, pacem enim indicat a muliere conciliatam.

Satis diu iam Graeci inter se sunt digladiati, nec nisi barbaris callide expectantibus bellum profuit diuturnum, rem gerentibus mera mala tulit. Rem gerentibus — et horum familiaribus. Mulieribus erepti sunt mariti et fratres et filii, et tacendum erat cum eripiebantur. Si vero tacere non iam sineret dolor aut indignatio, dicteriis tam notis quam duris castigabantur; neque enim de mulieribus neque ab iis verba fieri mos est. Quid autem quereretur mater, si adimerentur liberi, qui non ipsius essent sed patris? Ipsum Apollinem in dramate Aeschyli gravibus verbis testatum:

„Non est parens quae mater audire assolet,
„Sed alma nutrix germinis concrediti;
„Ut hospitale pignus haec prolem fovet,
„Dein reddit; at qui generat, unus is parens."

At finis iam est patienter et submisse expectandi. „Nulli etiam Athenis sunt viri!" clamatur per urbem, sive de patriae salute desperantium ea est vox, sive contemtim in partium civilium controversiis adversarios lacessentium. „Desunt viri". At sunt mulieres, et propria his arma quibus confiderent dedit quae leonibus ungues, quae cornua tauris dedit natura. His armis iam usurae sunt ut bello imponant finem. Nonne carmina epica habebant Menelaum ab Helena victum? Quae Troia capta pristinum coniugem non supplex adiit, sed pectus niveum audacter praebuit confodiendum: tum abiecto gladio ille eodem quo antea amore eam est complexus. Clarum illud exemplum imitatae quae nunc vivunt mulieres Graecae et ipsae formae venustate usurae sunt in viros illos, qui decoris feminei heros atque dominos superbos se gessere nimis diu, in tuto nimirum amoris et vitae domesticae bona semper sibi fore rati. Sciunto illi nihil eiusmodi aut certum aut paratum esse, si nolint mulieres, ut tandem denique desinant eas vilipendere. A Pacificatrice muliere Atheniensi convocatae Athenarum arcem occupant, aerario publico potiuntur, propylaeis communitis arcent viros impotenter furentes; iamque patienter in firmo illo rupis praesidio expectant quorsum res sint evasurae.

Quamquam difficillimum est in consilio perstare! Nam maritos et domos nihilo secius desiderant quam illi illas. Fidem tamen iuratam et concordiam melius servant quam viri. Itaque ea quoque mater, cui a coniuge consilii inope eminus ostentatur infantulus lacrimis suffusus, esuriens, quintum iam diem illotus, etsi vix se cohibet quominus illuc provolet, in fide tamen permanet. Iuravit neque viri neque rerum domesticarum rationem ullam prius se habituram quam inita sit pax. Domi lanam a gallinis diripi audit, ... ni pax fiat diripitor et cum ipsa patria pereat ipsius res familiaris!

Non tamen ad ultimum exitium est perventum. Nam paucis diebus post coniurationem a mulieribus initam fortior generis humani pars cedit debiliori. Victos se sentiunt viri, neque enim Spartiatis neque Corinthiis neque Thebanis neque ceteris Graecis vitalis est vita, postquam divortium fecere mulieres. Legatos igitur de pace mittunt, inviti quidem nec nisi vi coacti, sed mittunt tamen ad Pacificatricem coniuratarum principem, mulierem prudentem et constantem; quae rerum potita est non sibi consulens, ut alii tyranni, sed quo Graeciam ab interitu servaret. Haec ex arce procedit, viros tarde atque pedetentim accedentes manu prehendit, unum in locum adductos qui hostes tamdiu inter se obstiterunt inter se contueri iubet. „Mementote, Athenienses, pulsorum olim a Spartiatis Pisistra„tidarum! Nolite oblivisci, Spartiatae, auxilii a Cimone vobis „lati adversus helotas seditiosos! Recordamini pugnarum quibus „una eademque in acie collocati profligavistis barbaros! Recor„damini sacrorum et sollemnium communium Olympiae, Delphis, „ubi non concordi animo saepissime celebratorum! Una vobis „patria; non in Graecia sed extra Graeciae fines sunt hostes!"

Sic affata leni impulsu cogit etiam renitentes, et — mirum! — dextris illi iunctis priscam amicitiam renovant. Ingens fratribus inter se reconciliatis in arce a feminis struitur convivium, dein omnes domos suas cum uxoribus laeti redeunt.

Sic arte vere feminea Pacificatrix belli internecivi et impii finem fecit, et re probavit suo se iure gloriatam: „Ad discor-

„dias componendas et foedera concinnanda natae sumus mulieres. „Advertite modo glomus perturbatum diducentibus. Nihil ibi vi „aut temere agitur; non vellimus neque caedimus, sed leni „manu fila caute comprehensa distrahimus; modo laqueus paul- „lulum dilatatur, modo per nodum laxatum ducitur filum iterum- „que ducitur filum, moxque bene ordinata sunt omnia nullo filo „rupto. Et lanam quomodo faciamus nonne nostis? Vellus in- „forme, sordibus oppletum, ab ovis corpore recens cum accepi- „mus, aqua diluimus, tribolos et lappas patienter evellimus, „flagris strenue discutimus quicquid pilorum perplexum cohae- „ret, donec mollia tenuia candida facta sunt omnia. Dein levia „fila fingimus, tandem vestem bene calidam inde teximus ma- „ritis. Ipsine melius calletis lanificium, o boni? Aequa utinam „arte similique consilio uteremini in nectendis consiliis et con- „dicionibus componendis! Quin incolas coloniarum et civitatum „foederatarum et inquilinos cum huius urbis civibus in unum „rei publicae corpus, ut lanae floccos in commune canistrum, „receptos artissime coniungitis, unde fiat firmum densumque „populi tegumentum, procellarum sive bellicarum sive civilium „intemperiem defensurum" ...

Utinam sane aurem praebuissent Athenienses Pacificatrici prudenter sic et benevole monenti!

Quamquam in pulpito comico indicari tantum potuerunt eius- modi de rebus publicis consilia, non fuse clarisve verbis exponi; et vel sic cautius erat agendum per horum temporum angustias. Itaque seria quae proferre habuit poeta, effrenae lasciviae ludibriis immiscuit, — non sane placida mente et veluti invi- tus gravibus verbis fucum iocorum scurrilium obtendens, quem- admodum pharmacopolae pilulas amaras pulvere liquiritiae involvunt, sed nunc quoque totus aliquantisper vivens in laeto rerum fictarum orbe, malorum civilium oblitus, quod mente concepit germen amore fovens tenerrimo. Mira autem admira- tione hic musae iocosae fetus et hodie legentes detinet; sentiunt enim poetae candidi hoc esse opus et civitati optime volentis,

cui facile ignoscatur si quid verborum parum verecundorum habeat ars eius hilara — et habet sane nimis multa! E priscae autem comoediae dictione cum transfertur in vitae hodiernae sermonem aliquanto magis castigatum, spectatoribus praeter pacis quam primum ineundae consilium a poeta hoc praesertim perpendendum offertur placitum: mulieribus deberi quicquid vita habeat amoeni, pacis atque quietis illas esse ministras, nec sine iis sive domi sive in re publica recti consistere posse quicquam.

VI.

Pluris mulieres ne Socrates quidem facere potuit vel Plato vel quisquis de perfecta civitate disputans remedia quaesivit, quibus hominum vita in melius posset mutari; nec facile in philosophorum operibus reperiatur quod sexui debiliori tam sit honorificum quam hae sunt facetiae. Indolem muliebrem virili haud inferiorem esse perhibere solebat Socrates ille, quem in Nubibus fabula Aristophanes ludibrio habuit: hac certe in re comicum prorsus cum sapiente facere apparet.

Etiam Euripidi, qui cum Socrate amicitia iunctus fuit aetate paullo provectior, de mulieribus haec erat sententia. Sed neque poetae tragico neque philosopho laudi id duxit Aristophanes. Qui cum utroque viro licet saepius concurrerit, non tamen utriusvis ingenio magis favere didicit sensim, sed novae aetatis studia poetica et musica etiam magis despicatui habuit semper graviusque est perosus quam novae aetatis sapientiam. Quippe magis ipsi molesta. Nam sophistarum inventa licebat ridentem praeterire, neque opus erat istiusmodi nugarum rationem habere, nisi ferret lubido: ipse in quo Aristophanes habitabat artis poeticae orbis si quas habebat voces absonas, his aures praecludere non poterat. Nulli autem soni quantumvis ingrati violentius ei bilem movebant quam Euripidis dicta et cantica.

Fuit enim Euripides aevi illius recentioris praeco, quod prisca

aspernabatur, non tamen habens quae nova substitueret. Traditarum rerum contemtor nec ullam facile auctoritatem reveritus, novas identidem vias aperiens nec usquam reperiens in quo acquiesceret, per dubitationis mare immensum vagus oberrans, neque duci ulli confisus neque sibi constans, rerum humanarum contemtum et taedium per vitam circumtulit morosus. E sanctis autem Graecorum mythis quam ducebat dramatum materiem, ipsi ea non erat sancta, ut fuerat Aeschylo splendide credulo vel Sophocli candide pio, nec tamen viribus tantum valuit ut abiecta sarcina molesta suum iter iniret expeditus.

Prisca autem rerum memoria cum saeculi cultioris notionibus et moribus collata quorsum evaderet, dudum ostenderat Aeschyli opus ultimum. Apollo matrem a filio necari aliquando iussisse ferebatur et veram illam esse famam Aeschylo constabat; at id quoque ei constabat, improbum facinus a deo imperari non potuisse: itaque Apollo Aeschyleus Clytaemestram ab Oreste iure caesam demonstravit, ... sed ea usus argumentatione, quae maiorem etiam indignationem nobis moveat quam ipsum illud matricidium, simillima nimirum ei, quam senex in Nubibus comici fabula ultus est Meditaculo sophistarum incenso. Aeschylus enim quaestionem, quae est de matribus a prole sua pie et sanctissime colendis, e dominio affectuum cordi humano cum ipsa vita et sanguine ingenitorum transtulit in forum iudiciale, ubi haec vicit sententia:

„non est scelestum quicquid imperant dei",

sed esse videtur tantum mortalium menti imbecillae.

Quam vetustae caedis defensionem maxima cum indignatione reiecit Euripides, perinde atque Socrates persuasissimum habens penes ipsos homines esse boni malique arbitria, ipsis vi divinitus insita decernendum quid liceat, quid non.

„Si quid scelesti di iubent, non sunt dei"

exclamat impiae pietatis generosissimus hic contemptor, quae aevi vetusti memoria ferebat negando artis suae fundamenta labefactans.

Nec minus molestae quam materies ei erant tragoediae leges

et species longo usu consecrata. In operibus elaborandis duris quibusdam vinculis praepeditum se sentiebat, vi tamen ingenii non tantum valens ut vinculis illis disruptis strenuo impetu eo tenderet quo musa vocaret, novae artis auctor futurus. Agebantur eius dramata in theatro tot heroum heroinarumque fatis incluto, sed homines, non commenticios aliquos semideos, ostendere volebat ille, — homines, qui humana ut ipse sentirent, cogitarent, sperarent, qui humana agerent et humana paterentur. Mortalium vitam unice curabat, veritatis magis quam dignitatis gravitatisque scenicae appetens, utque audientes penitus commoveret omnem dans operam; sed in violentiam inconcinnam saepe abibat nervorum nimia intentio et spectatorum animos subito impetu percellebat facilius quam dulci admiratione pertentatos detineret. Parum aequabile videlicet in ingenii eius operibus, ut in ipso ingenio, erat virium atque studiorum temperamentum.

Morosus hic poeta quam ridiculus visus est Aristophani! Cui Euripides inde a puero vellicandi atque lacessendi libidinem civit eiusmodi qualis esse solet animalium liberorum et robustorum sodali aegroto vel ligato occurrentium. Quam ineptae ei videbantur de rebus sublimibus et terrestribus disputationes illae, et quanto etiam deteriores in theatre auditae quam in sophistarum umbraculis vel ad iudicum tribunalia. Quam vulgares autem et vere rustici mores tragica pulpita invaserant illa, quae tulerant Agamemnonem atque Achillem, Apollinem atque Prometheum! Telephus iam claudicabat ibi habitu mendico, claudicabat pannis obsitus Philoctetes, claudicabat Bellerophon sordidatus, in tenui attritoque palliolo frigora brumalia perferebat Alcmeon; Oeneus, Phoenix, Thyestes, Ino, aliorum hominum pauperum et querulorum densa caterva per proscenium Euripideum versabatur. Sic scilicet facilibus musae humilioris artificiis molestus ille homo lacrimas popelli sollicitabat!

In Acharnensibus autem fabula Aristophanes pridem libere indulserat studio tragicum irridendi. Nam Iustus ille civis cum professus esset se agricolis bellicosis argumentando comproba-

turum Atheniensium nihilo minorem quam Peloponnesiorum esse culpam, priusquam dicendi faceret initium in ultimo periculo — nam aderant caudex et securis, et ni vinceret instabat mors — supplex adiit Euripidem. Requirebat habitum miserabilem, quo molliret audientium animum, si forte parum valerent eius verba. Qualem ubinam inveniret, nisi forte apud Euripidem poetam! Hunc certe meminerat inducere mendicum quendam mire callidum et cunctis facile persuadentem. Nomen hominis non iam tenebat, nam vix quicquam discriminis erat inter Euripidis illos heroas egenos; sed id quidem satis sciebat, magis squalidum nebulonem quam illum quem volebat in theatro nullum adspectum esse unquam.

Euripidis igitur domum Dicaeopolis petit:

„Nunc ergo opus mihi mente forti et strenua,
„Euripidesque iam petendus. — Heus puer,
„Puer!

PUER.

Quis iste?

DICAEOPOLIS.

Intusne, dic, Euripides?

PUER.

„Intus nec intus ille, — si recte sapis.

DICAEOPOLIS.

„Intus, nec intus, qui potest?

PUER.

Vere, senex:
„Mens hinc abest forisque versiculos legit,
„At intus ipse in aedibus summis struit
„Tragoedias.

DICAEOPOLIS.

O ter beate Euripides,
„Cuius minister doctus histrio simul!"

Sed vocatus Euripides non descendit, non enim vacat in aedium penetralibus novum drama elaboranti; foras tamen

provolvitur in lectulo lucubratorio porrectus, libris varioque apparatu stipatus.

DICAEOPOLIS.

„Euripides!

EURIPIDES.

Quae vox ad aures?

DICAEOPOLIS.

Editus
„Versus facis spernisque terram?... Claudicant
„Homines tui, — non miror. At cur hos habes
„Pannos misellos? Iam scio: tragoedia
„Pauperculorum est ista. At o, supplex precor,
„Laciniam da dramatis veteris mihi:
„Habenda longa oratiost mihi ad chorum,
„Quae, ni placuerit, exitum mihi feret.

EURIPIDES.

„Quae vellera? An tectus quibus quondam miser
„Oeneus suis hic partibus functus senex?

DICAEOPOLIS.

„Non Oenei, cuiuspiam at qui miserior.

EURIPIDES.

„Phoenicis ergo oculis carentis?

DICAEOPOLIS.

Haud fuit
„Phoenix; meus vir multo erat lacrimosior.

EURIPIDES.

„Quae lacera tandem vestis huic petitur seni?
„Fortasse mendici Philoctetae cupit?

DICAEOPOLIS.

„Minime! fuit multo meus mendicior.

EURIPIDES.

„Fortasse flebile poscis illud pallium,
„Quo Bellerophontes claudus indutus fuit?

DICAEOPOLIS.

„Non Bellerophontes; quamquam et hic meus fuit
„Claudus, dicax, protervus, orator catus.

EURIPIDES.

„Novi virum istum: Telephum Mysum.

DICAEOPOLIS.

Probe!
„Mihi Telephi, supplex precor, da paenulam.

EURIPIDES.

„Puer, lacernam squalidam huic da Telephi:
„Iacet supra Thyestis immundam togam,
„Illam inter atque Inus.
(Affertur vestis.)
Cape hanc. — En, nunc abi."

Gratias Dicaeopolis agit quas potest maximas; sed praeter vestem squalidam etiam Phrygio pileolo opus est. Requirit etiam baculum, nec non, quae pro mendicantis pera sit, sportulam, — olera nimirum Euripidis mater olim venditasse ferebatur, — et poculi loco ollulam rimosam; vasculum denique spongia obturatum... qua pedem saucium, ut Telephus ille, detergere possit. Accipit singula a poeta, qui:

„Tragoediam mihi eripis meam, miser!
„Sume ista et hinc facesse quam primum.

DICAEOPOLIS.

Vale."

Sed nondum abit plura etiam requirens. Poscit praeterea in sportulam foliorum aliquid. Hoc quoque ei praebet Euripides:

„Tene: enecas me. Periit, en, tragoedia!"

Nunc igitur abit novus Telephus, sed statim revertitur et ultimum munusculum flagitans unice sibi necessarium:

„Olusculum da matris e regno tuae"

precatur. At iratus tandem poeta tragicus:

„Insultat iste. Claudite aeratas fores."

Clauditur ianua et Dicaeopolis:

„Mea mens! eundumst sine olere hinc, video, mihi."

Contemtus mordacissimi plenum est festivum hoc colloquium. Et aliis in fabulis Aristophanes Euripidem spectatoribus deridendum propinavit plus semel. Itaque facile intellegitur eum neque indole neque studiis affinem huic voluisse haberi. Talem tamen tum se praestitit, cum sexui debiliori maiorem quam olim in arte sua tribuit locum. Nam prius quam in comoediam Aristophanes, in tragoediam mulieres invexit Euripides.

Veras dicimus mulieres.

Aeschyli ars habebat sane Clytaemestram Agamemnoni oppositam, Electram habebat adiunctam Oresti. Sed illae heroinae in tragoedia, ut in ipsa vita, erant viri specie muliebri induti, non praediti muliebri indole; itaque „mulierem amantem se nullam fecisse" Aeschylum comicus finxit optimo iure gloriantem.

Maioris quidem momenti mulieres erant Sophocli, cuius Antigonae pares perpaucas peperit poetarum ars, superiorem nullam, sed vere virilibus virtutibus haec quoque heroina praecellebat; fraternus enim amor impulit ad virilia audenda et mortis causa fuit constantia interrita.

Euripides vero mulierum eam qua dignae erant rationem habuit. Priscas reginas et heroinas alii celebraverant, fabulosam historiam religiose secuti: ille feminas quales norat induxit, quarum pectus, ut amori, — huic potissimum! — sic odio et invidiae et iracundiae pervium variis aestuaret affectibus, ex ipsa vita desumtas et vere viventes. Et magnos illos poetas, quorum vestigiis institit, licet non aequaverit, magna tamen est assecutus in interpretando animo muliebri. Suam vitam vivunt feminae vere femineae, quas exhibuit in dramatis; cordis iussis obtemperare et suo iudicio stare audent, et singulare quod operum Euripideorum est decus, mulieribus potissimum id debetur.

Criminibus sane plurimis in eius fabulis petitae sunt mulieres, et interdum invita arte poetica sunt petitae; — nam Iason vel Hippolytus cum „pro Iuppiter!" clamat: „male actum est cum „genere humano, quod liberos sine matribus gigni noluisti!" risum facilius quam horrorem audientibus movet saevo illo

odio. Sed quod mulierum ab Euripide inductarum studia et fata multo vividius quam virorum nostrum feriunt animum, quod Alcestidem admiramur et veneramur, Phaedram et Medeam toto corde miseramur, Admeti vero quantumvis hospitalis dolorem aut Hippolyti castimoniam clamosam parum curamus, Iasonem autem penitus contemnimus, id satis aperte docet ab utra parte ipse steterit poeta.

Sed de Euripide mulierum vitam omni mentis acumine adhibito et singulari cura rimanti etiam in aliam partem potuit disputari. Non sane serio! Nam nimiae fuisset stultitiae, quaecunque in tragici fabulis de sexu debiliore malignius dicerentur, pro ipsius poetae verbis ex animi sententia locuti afferre, quibus suam in mulieres evomeret iram, coniugalibus nimirum malis exacerbatus. Qui vero petulantioris ingenii esset cachinno, illud poetae studium ludibrio habere facile potuit, id quod maxima cum libertate fecit Aristophanes, erga hominem rerum novarum in artibus poetica atque musica appetentem quemlibet iocum concessum sibi ratus.

VII.

Novae igitur fabulae materiem Aristophani praebuit Euripides mulierum osor.

Cuius fabulae ad Mulierum illud Divortium ea fere fuit ratio, quae est dramatum satyricorum ad tragoedias; meros enim iocos habebat post illius fabulae facetissimam gravitatem. Nam grave profecto prioris fabulae fuerat argumentum; in qua licet effrena lascivia omni abiecto pudore regnasset, nusquam tamen a poeta comico neglectum fuerat generosum pacem et concordiam commendandi consilium. In Thesmophoriazusis vero fabula serii nihil agitur: ridetur tantum; doloris aliquid cum admiscetur, ad novos iocos viam sibi parat poeta, eo clariores mox cachinnos excitaturus, dum argumentum ludicrum novis semper inventis exornat, quorum aliud alio est festivius.

In Pacificatrice fabula vir iratus mulieres vocabat „Euripidi cunctisque diis invisissimas excetras." Excetrae illae tandem denique abruperunt patientiam. Satis iam calumniarum! Semper eas in ore habet Euripides, semper ei est quod maligne de iis dicat: hodie ostendent ei non frustra locutum. Nonne vituperare solet quod sui iuris non sint satis? Operam igitur dabunt ut fiant, in ipso autem primum facient periculum. Et quoniam in cetera vita ex virorum pendent voluntate, consilia suo marte capiendi ibi facient initium ubi illorum arbitriis non sunt obnoxiae. Thesmophoria enim per triduum a feminis in templo Bonae deae eiusque Filiae nullis maribus admissis celebrata integerrimam iis praebent deliberandi et decernendi libertatem.

Hodie in concione mulierum, quae ad festum illud sollemne obeundum convenerunt, poetae septuagenario poena irrogabitur, utpote sexus feminei osori. Sed consilium de eo hodie agendi pridem initum ipsum non latuit — nempe clam illo quid agant feminae! — et quemadmodum in arte sua nunquam caret callidis artificiis ad rerum nodos quantumvis perplexos dirimendos, sic nunc quomodo sibi consuleret haud difficulter invenit. Consobrino enim cuidam persuadet ut muliebri sumto habitu mulierum adeat conventum, flagitium sacrilegum.

Est quidem difficilior hominis quinquagenarii in feminam non nimis turpem mutatio, sed adiuvante Agathone, poeta iuniore et formosissimo, qui vestes et calceolos et capitis ornatum et novaculam et quid non benevolentissime praebet, — nam mundi muliebris nihil deficit mollissimum mortalium! — egregie cedit res; gravi dein incessu matrona personata templum dearum intrat. Ibi adest dum reus fit tragicus et complures oratrices in eum verba faciunt. „Euripides viris auctor fuit ut artius „etiam quam antehac includerent nos et custodirent. Nunc quic- „quid agimus, in suspicionem incidimus et flagitii aliquid moliri „credimur. Quosvis culinarum et promptuariorum angulos per- „vestigant patres familias: semper aliquid fraudis subolet. Ne „vasculum quidem frangi potest quin miras tragoedias illi „agant. Olim fallere viros haud difficile erat, nunc nihil eius.

„modi fieri potest. Tam diu Euripides inspectavit nos et dolos „nostros fallaciasque in dramatis promulgavit, donec palam facta „sunt omnia. Veneno perimendus est homo sceleratissimus!"

Crimina gravissima postquam sic cumulata sunt et versibus plurimis e tragici poetae fabulis allatis comprobata, ad verba facienda etiam ficta illa mulier consurgit:

— „Optimo mehercle iure, o cives Atticae, culpatur Euripides! „Quem et ego pessime odi, — sic femina sim et maneam! Sed, „verum ut proloquar, — nam inter nos sumus, — tantopere „quid irascimur? Satisne est causae? Inepte de nobis deblate- „rans ille effutit quaedam quae reticeri melius erat: esto! At „unum ubi advertit flagitium muliebre, mille eum latent! Sic „ipsa ego"...

Et candidi pectoris femina quae ipsa peccavit quaeque aliarum meminit delicta, ingenue enarrare incipit, — quoniam verum est proloquendum.

— „Desine tandem!" — undique clamatur.

— „... Quid vero matrona illa, quae maritum securi per- „cussit? Et quae veneno suum interemit? Et Acharnensis illa „puella, quae patrem" —

— „Tace tandem!"

— „...sub furno sepelivit necatum!!"

— „Pro feminam impudenter garrulam!"

— „Tune impudentem me vocas, quae filiolam tuam puero „ancillae mutasti?"

Sic postquam haesit res in palude criminum privatorum et iurgiorum famosorum, — sive indolem muliebrem argumentandi arti minus aptam fecit natura, sive virorum in iudiciis et concionibus disputandi rationem feminae nimis presse sunt secutae, — id fit quod unum fieri potuit: ad manus enim venitur. Personata autem mulier una genuinis plurimis opposita quid faciat? Superatur, fraus deprehenditur, patet impostoris facinus sacrilegum.

Clodius ille Pulcer postea in aedes, ubi Bonae deae sacra a matronis Romanis pro populo celebrabantur, veste muliebri

induta cum irrepsisset, ingenti indignatione perfremuit urbs. Atheniensi in templo nihilo levius scelus iam perpetravit is, qui ad Euripidis causam orandam feminis se immiscuit; neque aderat servula, quae ipsum, ut Romanum illum adulterum, per aedium aliqua meacula foras in tutum prius abduceret quam in ipso facinore posset comprehendi. Immo manifestus tenetur homo nefarius, poenas luet, et gravissimas quidem! Illic ubi peccavit captivus asservatur a mulieribus, dum quantocius mittitur nuntius ad senatum, qui de eius sorte decernat.

At si quod obortum esset periculum, non defuturum se ei iuravit Euripides; neque ipse consilii est inops, quippe artificiis, ut ille, abundans. Custodum igitur uni subito impetu eripit quem ulnis tenebat infantulum, in coetum mulierum adductum ne domi ab ancillis socordibus neglegeretur videlicet. Quamquam propius intuenti patet vini utrem in puellulae figuram venuste ornatum eum matri illi sollicitae praeripuisse.

Obside hoc comprehenso in aram confugit captivus. Quod e Telepho Euripidis tragoedia habet artificium. Dein in sacro illo loco tutus dorsum tabellarum quarundam votivarum, in templo repertarum, conscribit epistulis Euripidi quali in vitae discrimine versetur nuntiaturis, et quam latissime potest valida manu eas circumspergit. Id quod e Palamede habet dramate.

Sed miseri hominis preces ad poetam pervenire non sinunt numina; nusquam certe ille comparet, princeps autem senatus cum sagittariis ubi aderit vocatus, de sacrilegi salute erit actum.

Aliud igitur tentetur artificium, e novissima poetae tragici fabula desumtum. Quae Helenam habebat, — non Homericam illam, a praedone peregrino vi atque invitam abreptam in Troadem, sed eam quae in Aegypto delituisset intacta, dum de fallaci quadam eius imagine Achivi et Troiani internecivo bello certarent, dein a Menelao coniuge domum inde esset reducta. Sic enim Euripides Stesichorum secutus responderat ad quaestionem, quae post Homerum in poesi Graeca est oborta, qui potuisset fieri ut Helena post belli Troiani finem Spartae regnaret denuo Menelai uxor honoratissima et dilectissima.

Felicissimum fuit illud inventum et Euripidis consobrino aptissimum. Nam facie glabra, unde cunctos pilos abstulit novacula, et veste decora ex Agathonis armario accepta, Iovis illi filiae haud nimis est absimilis.

Itaque novam Helenam agens verba facere incipit de Nili flumine intemerato deque Sparta patria et de Menelao marito, qui caeco errore implicatus — sic di voluere! — cum ceteris Achivorum regibus Troiae moenia bello tentet infinito, ut inanem scilicet quandam uxoris suae speciem recuperet a Paride illuc abductam. — En autem prodit ipse Menelaus! Qui obviam ei fit: stupore ambo coniuges perculsi et veluti attoniti inter se intuentur, mox ubi facta agnitio amplexibus haerent.

— „O dulce caput uxoris! O Spartam veni!"

— „Properemus illuc quo vocant nos caelites!"

At „quo ruere vultis?" clamat anus, quae custos assidet: „Quid tibi hunc abductio est?" — Ecce autem accurrit cum lictore magistratus.

Sic vere tragica rerum conversione summa laetitia abit in luctum aterrimum. Menelaus sive Euripides propere aufugit, Helena autem sacrilega iussu senatus assi alligatur. Veste fallaci induta, quacum in dearum sanctissimo delubro reperta est, ante templum in via publica collocabitur, quae tristissimo exemplo praetereuntes doceat Athenis pie etiam coli deos, sacrilegis mortis ibi stare supplicium. Lictor armatus custodiam aget, — ut in Sophoclis Antigona milites apud corpus Polynicis inhumatum, — donec homo improbus siti et inedia misere perierit. Similem poenam ante annos septuaginta Artayctes dux barbarus luit ob fanum Protesilai violatum, similem Iovi olim dedit Prometheus.

Sed ne nunc quidem animum despondet is, cui tantorum malorum causa extitit poeta propinquus. Hic enim tum cum pedem retractabat in aurem ei insusurravit, aliud quantocius se consilium excogitaturum. Ecce vero redit ille, novas partes agens. Perseus est nunc, Iovis et Danaae filius magnanimus, qui talaribus vectus fortia facinora aliud ex alio perpetrat, pericula

ultro oppetens. Euripides Persei persona indutus quam similis semideo iuveni ferocissimo!

Quo adspecto captivus optime statim intellegit quid sibi nunc sit faciendum, litterarum videlicet et artis Euripideae peritissimus. Andromedam liberaturus Perseus venit! — Hanc igitur virginem referendam sibi sumit captivus in vinculis haerens. Insons illa puella hominum inhumanissimo consilio cauti asperae est alligata, culpae alienae poenam luitura. Sola est nunc sub poli nocturni sideribus micantibus; vacant littora, silet nemus: comitem unum habet Dolorem, querelis suis quae respondeat una est Echo. Ante eam aestuat mare late patens, unde mox adnatabit belua Neptunia, praedae tenellae inhians. Iamque rugosa nostra Andromeda vitae valedicit cantico lugubri, quod ex Euripidis dramate desumsit, aliquantulum tamen mutato pro statu rerum in quibus nunc versatur. Et dicto citius advolat qui catenis letoque instanti eam eripiat semideus:

— „Quid hoc? Decoram virginem adspecto asperis
„Saxis ligatam, navem ut in sinu sali?"
— „Miseratus, hospes, his catenis exue
„Nil commerentem et abripe hinc miserrimam!"

Sed male factum quod custos neque Andromedae luctum quicquam curat, neque Perseo captivae vincula solventi connivet. Qui homo barbarus, quales esse solent lictores Athenienses, ne linguam quidem Graecam satis capit ut tangi possit versibus grandisonis affectusque plenis. Hoc capit, custodiendum sibi esse hominem maleficum et capitis damnatum; stricto igitur gladio Perseum ab Andromeda arcet. Perterritus aufugit heros.

Itaque ne hic quidem funiculus attractum quicquam attulit. Nempe

„Frustra laborat quisquis incultis nova
„Culti ingeni sollerter inventa exhibet"

indignatus Perseus verbis Euripideis queritur abiens. In tuto igitur recessu aliud rursus artificium est excogitaturus, quod ad barbarum inhumanum fallendum sit utilius.

Derelicta denuo est Andromeda sive Helena, et sera quoniam

iam est vespera, lictor dum excubias agit nutare incipit. En vero revertitur sollertissimus ille mortalium, nova denuo persona indutus. Et nunc certe quod sagaci mente protulit Euripides, eiusmodi est ut haud facile alius quisquam praeter ipsum commenturus fuerit! Ipse, qui multos tamen per annos cognitum eum habuit, oculis suis vix credit consobrinus. Reverane poeta est anicula ista vultu sceleratissimo? Et quinam eam comitantur? Saltatrix nimirum et puer tibicen! Quorsum ista?

Mox res docebit.

Prius cum mulieribus paciscitur Euripides his condicionibus, ut nunquam posthac calumniis eas sit petiturus, illae autem ipsi non sint adversaturae novum periculum facienti captivi liberandi. Quae postquam convenere, tibicen canere iubetur. Hilarae saltationis praeludium auditur et expergiscitur lictor. Qui torvo vultu et immani voce verba vix Graeca, immo verborum fragmenta iactans, strepitus iste nocturnus quid sibi velit rogat.

— „Ignosce, sodes, o lictor optime", sic voce flebili anus improba: „filiolam meam in convivium abduco saltare iussam. „Quae priusquam illuc abeat, artis periculum etiam facere quam „maxime cupit, ne parum mox placeat imperitior. Licetne hic „in via publica?"

His verbis humilibus auditis homo praepotens de severitate aliquid remittit neque intercedit quominus puella paullisper coram ipso saltet.

— „Et in genubus tuis sic licetne consideat, dum vestem „ei exuam solvamque calceos? Nam palliata saltare nequit."

Hoc quoque pro comitate sua permittit ei vindex tranquillitatis urbanae.

Res quo tendat patet. Venusta meretricula bardo militi os oblinit. — Saviumne licet? — Et alterum savium et plura savia? — Mox cum puella, amoris linguam inter omnes gentes communem optime callenti, aliquantisper secedit; qui ut primum per tenebras abierunt, „mater" strenuis ictibus discidit arta vincula, quibus miser captivus erat adstrictus, nec mora,

cum illo aufugit. Reversus mox lictor vacuam reperit assem, et chorus mulierum illuc eum mittit ad fugitivos corripiendos, quo non abierunt. Tandem Euripides pervenit quo volebat. Vicit vim mens versuta et pertinax.

Lepidum hunc exitum habet fabula lepidissima et optime concinnata, iocis abundans mira facilitate conexis et levi cursu ad finem properantibus, summi in arte celanda artificis opus.

Non enim tam innocentes atque benignae sunt facetiae illae quam videntur, sed plus habent in sinu quam ostendant in fronte. Mulierum osor Euripides non dicitur serio: serio tamen petitur. Nam poetam tragicum, quem spectatorum cachinnis immodicis explodendum exhibuit Aristophanes, non ioco tantum vocavit versutum, fallacem, artificiorum meretriciorum peritissimum, sed moribus publicis revera tam infestum ducebat quam Socratem sanae civium menti.

Melius quam cum Euripide, agitur cum mulieribus, quas causam suam festivissime orantes fecit comicus. Fabula nimirum vetusta, quae erat de Pandora sive alma terrae dea, sensim mutata iterumque mutata eo denique abierat, ut prima mulier abrepta studio ignota deprehendendi morbis malisque ad miseros mortales aditum patefecisse crederetur, et plurimi poetae „a feminis malum ortum" cecinerant. Quae quam stulta, quam iniqua sit sententia demonstrant mulieres in Bonarum dearum templo congregatae. „A quovis culpamur", sic in interludio ait chori dux ad spectatores conversa: „mera mala dicimur, luctus „et discordiarum et bellorum causa et quid non! At tantum si „malum sumus, cur uxores ducimur? Cur vetamur foras pro„dire? Mulier cum abest, irascitur maritus: quin gaudet malo „illo aliquantisper remoto? E fenestra prospectamus? suspiciunt „omnes; pudore suffusae cum recedimus, illi expectant an malum „illud etiam sit prodituram. Nempe multo pluris nos sumus „quam qui tam superbe in nos invehimini viri; probe nostis „ipsi, licet praefracte denegetis. Res luce clarior."

„Merus iocus" Thesmophoriazusae fabula est vocata, neque est in illo nomine quod vituperetur, modo verbis uno et altero additis dicatur „felix poetae ingeniosissimi iocus" neque contemtus aliquid habeat adiectum „merus", sed id tantum indicet quod negari nequit, fabulam argumenti esse privati, res publicas in ea tractatas non esse. Si vero illum iocum aliis Aristophanis fabulis inferiorem esse perhiberet quispiam et vix sincerum priscae comoediae fetum, utpote in materie tenuiore versatum, strenue obloquendum esset de egregio artis opere imperite iudicanti. Equites exempli causa si quis pluris faceret quam Thesmophoriazusas, civitatem enim Atheniensium maioris esse momenti quam fictum illud Euripidis erga mulieres odium, — et fuerunt eiusmodi iudices artis poeticae, — testimonii de his rebus dictionem dandam sibi non esse ostenderet.

Nam dura licet fuerit Athenarum sors et gravissimo dolore affecerit animum Aristophanis, arti eius mire profuere patriae calamitates, et seri nepotes est cur gaudeant non perrexisse eum in via, quam prima iuventute iniit, cum res civiles felle imbutas odioque ferventes spectatoribus obiciebat, sed ex suo ipsius potius pectore protulisse quae illic in fundo ingenii feracissimi effloruissent, diutius quam Atheniensium discordiae in memoria mortalium permansura. Equites fabulam praeferre Avibus vel Thesmophoriazusis, id est frumenti grana rosis anteponentis, quod cibi plus habeant illa. Quae opinio, ut concessa, sic a musarum dominio est aliena. Pinsendi sane vel coquendi non sunt flores, neque prosunt rusticis famelicis, sed mellificant inde apes. Rerum praeteritarum qui sunt curiosi, in primis comici operibus plura reperiunt quae ipsorum studiis conducant: discunt inde plura; sed artis cum unice habetur ratio, longe anteponenda iis est Thesmophoriazusae fabula. Equites autem illius artis insigne est exemplum quae fuit olim, priusquam musa iocosa spretis civium controversiis malignis eo, quo ne Cratini quidem ingenium admirabile pervenerat, evexit Aristophanem. Non degeneravit tum comoedia, Bacchi proles lasciva, sed in verae artis regno aprico libere viribus usa in melius

pulcriusque excrevit. Acharnenses fabulam si dicimus gemmam matutino iuventutis rore uvidam laetaque spe turgentem, at Aves et Mulierum Divortium et Thesmophoriazusae vocantor artis comicae flores integerrimi, ad solis meridiani radios late expansi vividisque coloribus ornati. Non potuit poeta noster etiam maiora assequi.

VIII.

Dum Mulierum Divortium et Thesmophoriazusae fabulae docebantur in certamina scenica mox committendae, Athenis qui rerum novarum studiosi erant homines factiosi minime requieverunt, et post menses paucissimos eo quo dudum tetenderant pervenere tandem. Senatus dimissus, conciones sublatae, penes bonos viros quadringentos omne fuit civitatis arbitrium.

Quae rerum conversio quanta laetitia affecisset Aristophanem, si tam candidus quam olim ei mansisset animus! Heracliti igitur dictum illud: „bis eundem fluvium intrari non posse" de temporis certe fluvio non valere, ecce enim redire aevum Soloneum, Spartae appeti denuo sodalitatem, maris dominium minus curari...

Sed virorum, quos praestantissimos Athenarum filios Aristophanes olim duxerat, minus iam valebant ei verba grandisona, et patriae ille amor cuiusmodi esset nimis bene perspexerat. Pacis sane et concordiae quam maxime etiam erat appetens, et nuper talem se praestiterat in Mulierum Divortio. Itaque quae rei publicae mutatio pacem reductura dicebatur, non grata esse ei non potuit; neque improbabat populi in civitate administranda potestatem imminutam. Sed ducibus partium optima quaevis promittentibus diffidere didicerat et Spartam aliis oculis quam olim intuebatur. Itaque non nimius fuit eius dolor cum Peloponnesii aures non praebuerunt legatis, quos miserant quadringenti viri. Nempe alia iam erant tempora quam brevi post Cleonis victoriam Pyliam fuerant. Pacem studiosissime iam appetebat Atheniensium civitas, renuebant Spartiatae, fratres suos Atticos aversati, nisi durissimis condicionibus conveniret.

Non convenit, et rei publicae regimen frustra mutatum apparuit; mox autem cum defecisset Euboea, quae ipsius Atticae pars per saeculi dimidium Atheniensibus visa fuerat, civium animis omnino mutatis concidit quadringentum virum potestas post menses quatuor quam magistratum inierunt, et summa rerum denuo fuit in... Alcibiade.

Ad hostes quinto anno ante transfugerat Alcibiades: nunc transfugere Pisander aliique optimates plurimi. Et humanissime hercle recepti sunt in castra Peloponnesiorum Deceleam in Atticae finibus obtinentium. Unus e bonis illis viris, Aristarchus praetor, Oenoën castellum Boeotis prodidit; — et huic certe haud impune id abiit. Etiam Archeptolemus et Antiphon Athenis in vincula sunt coniecti, perduellionis crimine petiti, capitis damnati; Phrynichus iam antea utpote proditor scelestissimus in foro a sicariis fuerat confossus. Cautior his et sagacior Theramenes, qui cum Antiphonte et Pisandro rei publicae statum popularem everterat, tempestive consilia ita mutavit ut Alcibiadi amicus fieret, — tamdiu mansurus quamdiu e re sua duceret hanc amicitiam.

Alcibiadem Atheniensibus gratum denuo fecerat foederis cum rege Persarum ineundi spes. Nam fieri posse ut suis etiam viribus superarent adversarios, id ne ipsis quidem credibile videbatur. At non soli ad mendicandum propensi erant illi: etiam Spartiatae inhiabant auro barbarorum, et Alcibiade quantumvis astuto Lysander astutiorem se praestitit. Anno enim 409 Lacedaemonii cum legationem Susa misissent et presse secuti essent legati Atheniensium, in aula Persica eiusmodi initum est adulandi certamen, quale illud fuit quod olim in pulpito comico spectatoribus ostenderat Aristophanes. Nam quemadmodum Bullio et isiciarius illic Populo seni stupido munusculis et promissis fallacibus impudentissime suppalpati sunt, sic nunc legati gentium in Graecia principum callidis verborum artificiis tentarunt senis mentem Darii.

Quod si Atheniensibus bene cessisset res, Alcibiadi apud cives nova et firma stabat gratia,... necdum spem tyrannidis ille abiecerat. Sed magis favit fortuna Spartiatis, qui Cyrum iuvenem,

regis filium strenuum laudisque bellicae avidum, dein ipsum regem sibi reddiderunt propitios; Atheniensium autem legati in vincula sunt coniecti.

Actum igitur erat de Atheniensium potestate, licet maris dominium aliquantisper etiam iis permanserit. Nec non de Alcibiade erat actum. Qui promissis stare cum non potuisset, minus exinde Atheniensibus fuit acceptus. Mense Iunio 408 re haud infeliciter gesta Athenas reversus summis quidem laudibus est celebratus, tanquam si patriae fuisset sospitator; at paucis mensibus post, cum classis sine eius culpa adversi quid esset perpessa, aura populari mutata abrogatum ei est imperium. Quod decretum iniquum graviter ferens iterum solum vertit — non rediturus. Nunc quoque culpae non admissae luit poenam, non tamen insons, sed ob fidem olim laesam civibus merito semper suspectus.

Novis praetoribus in fatis fuit ut ultimam Atheniensium classem in victoriam ducerent, et cives gratiam iis repensuri erant capitis damnando. In Asiae ora ad Arginusas insulas classis Peloponnesiorum pugna atroci est deleta, sed post pugnam procella coorta prohibuit quominus victores servarent corpora suorum inter navium rudera in fluctibus natantia. Quae si qua fuit neglegentia, — sed nulla videtur fuisse, — gravissimum malum iis intulit. Nam quemadmodum decem annis ante in Alcibiadem, sic nunc in Erasinidem et Periclem — Aspasiae filium — et ceteros praetores pietate Atheniensium pessime abusi sunt homines scelesti, et cum ducibus insontibus ipsa civitas suisce virtutibus in perniciem est abrepta. „Siccine „tot milia virorum pro patria mortuorum caruisse sepulcro ho„nesto! Primum illud pietatis officium, quod ne in nequissimis „quidem mortalium fas esset neglegi, illorum corporibus esse „denegatum!"

Et factum est id quod incredibile videtur. Mense Octobri anni 406 octo praetores, qui ad Arginusas vicerant, a civibus caeco animi impetu ruentibus per saturam mortis sunt damnati, ne ea quidem lege servata, quae de pluribus simul reis sententiam

ferri vetabat. Sex qui Athenis aderant peremti sunt. Successores iis qui designati sunt, proxima aestate cum neglegentissime rem gessissent, — sive fraus subfuit, sive merus stupor et socordia incredibilis, nam varie narratur, — classis ad Aegos Potamum in ora Hellespontia a Lysandro inermis est occupata, militum milia complura sine pugna iugulata. Fractae tum denique fuerunt rei publicae Atheniensium vires.

IX.

Inter splendidam victoriam ad Arginusas reportatam et cladem Hellespontiam acta est fabula, cui *Ranarum* mirum nomen dedit poeta, neque argumentum neque — ut assolebat — chorum illo nomine indicans. Mense Februario anni 405 in Lenaeorum certamine scenico data est et primo praemio ornata. Quin adeo placuit ut brevi post iussu populi iterum sit data.

Tunc, si unquam, gravissima mala civitati instabant; laetae autem spei vix quicquam poetae etiam fuit reliquum. Nam quae duci chori civibus commendanda tribuit haec sunt sola:

„O viri, concordi este animo! In pristina autem iura resti-
„tuite qui ante sex annos Phrynichi artificiis a recta via aber-
„rarunt!" — Plura nomina proferre poterat comicus, neque enim solus Phrynichus neque gravius quam alii deliquerat; sed in mortui proditoris memoriam omnium devolvitur culpa. — „Mancipiis quae in pugna illa navali decertarunt ius civitatis „est datum, et optime sane meritis est datum; sed nonne red-
„dendum nunc est iis qui cives olim fuere, nobilissimarum „gentium propagini? Satis diu patria illi caruerunt, caruit iis „patria! Quin consilio magnanimo et prudentissimo iis ignoscite! „Ultimam hanc habetis spem salutis. Sic fortasse etiam parcet „vobis fortuna, et

„Bene cadit si res, decus fert; si male, hoc solatiost,
„Lignum honestum quod sit illud laqueus unde pendeat".

Itaque civibus quod promittat vix aliud etiam habet poeta praeter interitum honestum, — melius si quid patriae conces-

sum fuerit lucro insperato appositurus. Alius vocis sonus ei ante annos viginti erat iuveni, ruris otia et opes inexhaustas celebranti. Nunc ita loquitur eius musa ut regia illa puella, quae tum cum offulsit culter iugulum petens

„Curam ut decenter caderet habuit ultimam."

Fabularum autem iocosarum quamnam materiem praebeant tristissimae rerum quotidianarum turbae! De quibus hilare ridere poeta non amplius potest, quoniam nullo etiam spei fulgore videt illustratas. At e miseris illis aerumnis dudum se extricavit, alte evectus supra vitae vulgaris studia inania et turpia. In urbe undique periclitanti irae et avaritiae mortales indulgent perinde atque olim, talparum instar caecarum solum in quo nati sunt subruentes, at ille in nova artis suae patria et liber habitat et felix; nam illic ea sola videt auditque quae videre eum et audire voluit ipsa musa.

Sic fieri potuit ut eo tempore, quod cladem Hellespontiam proximum antecessit, Aristophanes argumentum ex arte poetica ductum summa cura pertractaret in fabula festivissima nullique aetatis iuvenilis operi hilaritate secunda.

Ranae fabula hodiernis lectoribus altera quaedam pars videtur Thesmophoriazusarum. Id quod quadamtenus debetur caeco casui, non enim poetam inde ab anno 411 usque ad 405 tacuisse certum est. Sed fabularum quas illis annis scripsit nulla superest, et cognationis quibusdam vinculis revera cohaeret Ranae fabula cum Thesmophoriazusis. In utraque enim agitatur Euripides.

Qui tragicus poeta tribus annis post Thesmophoriazusas fabulam scenae commissam solum vertit morosus et inquies. Comici quin laeserint eum ioci non est dubium; non enim is erat Euripides, qui talia aequo animo ferens ad personati illius Euripidis ludicra artificia aut clara voce rideret aut leniter certe subrideret. Accessit indignatio ob dramata non solum a comico irrisa, sed etiam in certaminibus scenicis aliorum poetarum operibus saepius posthabita. Itaque patriam ingratam

malisque obrutam haud illibenter reliquit ab Archelao rege Macedoniae in aulam Pellaeam verbis honorificentissimis vocatus.

Magisne acceptam sibi sedem invenit in regione illa longinqua et semibarbara? Fortasse; magno certe in honore ibi fuit, ut Aeschylus olim Syracusis et Gelae, et cum Agathone aliisque civibus compluribus, qui item illuc migraverant, consuevit. Sed

„Alio vetustas arbores ne transferas."

Nam altero anno post, ineunte 406, Athenas nuntiatum est Euripidem vita functum et in terra peregrina sepultum. Sic Aeschylus ante lustra decem cum item senex patriam reliquisset, brevi post in Sicilia obierat.

Ecce autem novae fabulae argumentum indicatum sibi habuit poeta comicus. „Euripidem cum Aeschylo apud inferos congressum" exhibiturus est. Illic enim iam iuncti sunt viri dissimiles, Marathonomachus et loquax sophista. Ambo iam e vita humana sunt exemti, et Aeschyli nobile illud dictum: „se tempori dramata sua tradere iudicanda" etiam in recentioris poetae operibus iam valet. Quae verba cum transferuntur in linguam comoediae, ea quae cerni tangique queant requirentis ad cogitata enuntianda, hanc formam induunt: rex inferorum altero poeta alteri opposito efficiet utri debeatur sedes ipsi proxima, utpote in arte praestantissimo; hunc enim locum honorificum Aeschylo hactenus tributum sibi nunc poscet Euripides. Cum materiem tum structuram dramatum, praefationes et diverbia et cantica, versuum numeros et modos et saltationum figuras, parva et magna Pluto perpendet en inter se conferet.

In unum igitur locum Aristophanes tragicos poetas ambos deducit. Ante regiam Acherontiam ponitur ingens libra, afferuntur perpendicula et regulae et normae et formellae: minutatim severo iudicio explorabuntur utriusque operum pondus, forma, pretium.

Sed poeta comicus dum totus fuit in duriore hac materie effingenda et ingenii copiis ornanda, de quaestione e re litteraria desumta ita disputans ut ex argumento abstruso lepida fieret fabula, obiit etiam Sophocles grandaevus. Qui nonaginta

per annos vixit nec tamen nimis diu, ingenio et corpore usque ad vitae finem valens; qui ante annum sextum quam obiit fuit unus e decem viris, quibus in ultimo rerum periculo civitatis salus est concredita, et ante annum quartum Philoctetam docuit, summae artis opus, cui primum praemium a iudicibus scenicis merito est tributum. Neque postea missas fecit musas, anni autem 406 mense Martio ob mortem Euripidis poetae aemuli luctum cum choro et histrionibus suis palam significavit. Iam fortuna ultimum largita beneficium prius eum e vita sustulit quam patria malis est mersa.

„Sophocles beatus ille! Grandaevus senex
„Obiit fuitque fortunatus et catus.
„Multas dedisset cum tragoedias bonas,
„Bonum exitum habuit, omnis usque expers mali."

— sic recens defunctum celebravit Phrynichus poeta comicus, dulcioribus verbis quam pro dictione comica usus cum illius viri faceret mentionem, qui aetati recentiori, inter quam tamdiu versatus erat annis ornatus non fractus, immortalis fere erat visus, Periclis olim et Herodoti amicus. Nunc et ipse in communem locum abierat, et dramata sua tempori reliquerat iudicanda.

Quid autem de sede Plutoni proxima?

Non sibi vindicaturus erat ille, ut Euripides! Nam quo meliores, eo modestiores esse solent mortales, et unus omnium moderatissimus lenissimus facillimus fuerat Sophocles. Vitam vixerat tranquillam, beatus corpore firmo et usque ad seram senectutem decoro, ob plurima opera praestantissima honoratus inter cives, ut qui diis in paucis carus esset. Laudem a civibus non petiverat, sed debitam sibi et libenter oblatam acceperat, neque in regione umbrosa efflagitaturus erat virtutis praemium, si tardius sibi tribueretur. Sed salutaturus eum erat Aeschylus successorem sibi haud inferiorem, et alteram partem sedis honorificae ultro ei cessurus, ut qui non minus ea dignus esset quam ipse Aeschylus.

Itaque poetae comico post mortem Sophoclis non erat causa

fabulam semiperfectam seponendi, ut minus iam aptam. Rationem tamen huius funeris haberi necesse erat. Necesse? immo haberi licebat! Nam praestantis est ingenii, stimulari et sublevari rebus subitariis, quae vulgares homines opprimunt.

Morte Euripidis in inferorum regionem invectus erat incola verbosus et pugnax: Sophoclis morte Athenis sublatus est ultimus poeta. Hinc iam fabula capit initium. — „Nulline viri Athenis? Alibi igitur quaerenda salus!" His verbis poeta comicus in Mulierum Divortio Graeciam servandam credidit feminis. — „Nulline Athenis poetae?" ipse iam clamat Dionysus, cuius ludorum summum decus sunt certamina scenica; additque: „Alibi igitur poetam quaeram", — bonum nimirum poetam; nam mali multi fuere semper et nunc sunt plurimi.

At talis homo ubi quaerendus? Non enim extra Athenas! Alibi non habitant musae, eae quidem musae quae Dionyso carae sunt. Illic si poeta tragicus, qui probari possit, nullus etiam comparet, nullus est usquam, qua splendet sol. Ergo quaeratur ubi non lucet sol: adeatur regnum Plutonis! Solent enim inter se visere dii et alter alteri libenter obtemperare petenti, si possit fieri. Petet a Plutone mortuum, quem in terram reducat. Quod Orpheo concessum, Dionyso negetur?

Quem vero mortuum? Non est quod ambigat: in lucem secum abducet Euripidem. Cuius poetae et alia dramata recordatur et Andromedam octavo abhinc anno spectatam et nuper relectam. Quae quam bella erat fabula, quam horrifica! Dictionis qui splendor, quae copia verborum novorum! Fingendi quae audacia, quae sollertia! Euripides reviviscat oportet! Huic nullus par!

Quamquam tenebricosum illud iter neque amoenum fore suspicatur Dionysus neque facile. Suspicatur, nam non novit. Sed quae nescias, resciscere licet ab aliis, a familiaribus potissimum. Hercules autem frater ad inferos olim abiit Cerberum petiturus. Cerberum scilicet: . . . expeditio erit periculosissima! Caute igitur agendum: Herculem esse se finget; sic metuent omnes, neque obstabit quisquam quominus in aedes Plutonis perveniat incolumis.

Itaque viam init Dionysus pelle leonina indutus; ferae rictu teterrimo adumbratur os glabrum et puellare; minus autem hirsutis illis exuviis conveniunt surae teretes cothurnis vinctae elegantissimis; at manus clavam librat ingentem et vere Herculeam. Sequitur servus; nam pedissequo quomodo careat deus, cum ne tenuiores quidem cives sine ministro iter facere soleant.

Sed ante omnia adeundus Hercules. Qui risu paene emoritur, cum pulcrum cernit iuvenem habitu mire martio ornatum; iter autem quo tendat postquam audivit, stupet fratris dementiam. Nam sponte quemquam tanta sibi negotia facessere propter mortuum poetam, id ipsi vix credibile, quippe cibi quam litterarum magis curioso. Sed libenter docet fratrem quae cognita proderunt. Iamque personatus Hercules abit in regnum umbrarum.

Quod iter aeque varium atque molestum fuit atque Ulixis illa quam priscus Homerus cecinit *νέκυια*. Ad lacum satis cito perventum. In cuius ripa cum lintre adspicitur Charon. Servos quidem non transvehit portitor: Xanthiae igitur pedibus per circuitum quendam in ripam ulteriorem eundum est, ubi expectet herum, Dionyso vero lintrem intrare licet; qui remo altero accepto utitur imperite admodum, mollis deus neque Herculeos sub pelle sua lacertos intendens. Peragunt tamen iter navale, adstrepentibus ranis stagni incolis. His rusticorum quae dicuntur lusciniis debetur fabulae nomen; elegit enim poeta nomen insolitum et ridiculum, quo mentem spectatorum adverteret; nam „Poetarum Certamen" vel a choro ductum nomen „Mystae" vel: „Dionysi Iter infernum" et magis aptum fuisset et minus iocosum. — „Brecekekex" alta voce clamitant inter ulvas riparum latitantes:

„Brecekekex, coax, coax!
„Proles paludum et luti!
„Canamus ad tibiae
„Vocem, — meus cantus is est amoenus, —
„Si diebus unquam apricis
„Uda subsiluimus inter
„Gramina ad cantum per undas

„Leve moventes corpus usque;
„Vel Iovis fugante nimbo
„Varium in infima palude
„Duximus chorum canentes
„Garrula quod aqua eicit."

Et sic porro.

Bene factum quod tandem pervenere quo tendebant, nam plane fessus est Dionysus labore insolito. Egreditur, ecce autem adest etiam Xanthias. Strenuus pergit novus Alcides clavam circumrotans. Veniant modo Stygia monstra: mire plectentur!

Quae insolita audacia quam sit genuina scire cupiens Xanthias

— „O here", clamat „nescio quid strepit in his locis."

— „Ubi autem?"

— „Post nos."

Celeri pede eum antevertit Dionysus.

— „At errabam, nam ante nos audio sonum."

Nec mora, post Xanthiam Dionysus recedit.

Iamque deus meticulosus impudenter ductatur ab emunctae naris mancipio, dirum quoddam monstrum in proxima vicinia per tenebras versari fingenti.

Ex terrore autem postquam misellus Hercules ad se rediit, pergitur et mox pervenitur in pratum amoenum, ubi umbrae mortalium, qui mysteriis Eleusiniis tum cum vivebant fuerunt initiati, cantando et saltando festum sine fine diem agunt, ut olim solebant. Hi enim soli post obitum beati degunt in campis Elysiis. Quae mystarum umbrae chorum fabulae efficiunt.

Ecce autem facibus coruscus appropinquat coetus manium coronatorum candidisque vestibus indutorum. — „Iacche!" clamor sanctissimus late resonat:

„Corusca manibus lumina quassans age prodi,
„Iacche, o Iacche,
„Noctis o celebris lucifer ignis!
„Face lucet ecce pratum,
„Trepidat poples senilis,
„Veteres ponunt querelas

„Lacrimasque longa quos opprimit aetas,
„Tibi dum sacra praestant.
„Age nunc face lucens
„Iter ad campum hilarem i prae,
„Nitidum agrum chorus ut
„Iuvenum, o dive, frequentet."

Quibus ludis postquam viatores nostri aliquantisper clam adfuerunt in recessu quodam abditi, continuato itinere ad aedes Plutonias tandem perveniunt. Ianuam Dionysus pulsat: „aditum petit Hercules."

Ira percitus extemplo foras ruit ianitor. „Rediitne fur ille, „qui canem nobis domesticum tunc abstulit?"

Iamque ex deliciis illis Euripideis plus satis Dionyso gustandum praebetur; nam tragici poetae verbis non nisi leviter immutatis furorem evomens regis inferni minister:

„Audax, procax, proterve, cui nullus pudor,
„Abominande, et si quid est dirum magis!
„Nostrum canem qui Cerberum hinc abegeris
„Prensumque collo suffocatum rapueris,
„Ego quem tuebar: nunc teneris firmiter!
„Talis Stygis te corde durato lapis
„Acherusiusque scopulus undans sanguine
„Custodiunt cautique Cocyti canes,
„Echidna centicepsque, quae tua viscera
„Dilaniabit. Latera corripiet tua
„Tartesia muraena, renes at tuos
„Cruentaque intestina diripient, miser,
„Quicquid Megaerarum Subura Orci tenet,
„Quas iam citato pede petam tuum ad malum."

Quae voce ingenti postquam mugiit ianitor, ad auxilia petenda recurrit, ianua bene occlusa. Dionysus autem humi proruit vepallidus. Cui ridens Xanthias:

— „Adeone times?"
— „Tune vero non times?"
— „Minime rerum. Quid enim!"

— „Quin igitur tu aliquantisper agis Herculem?"

Fit permutatio; sarcinis Dionyso traditis Xanthias pelle leonina quantocius se induit. Et festinato fuit opus, nam ecce aperitur denuo ostium... Dionysus post servi tergum se abdit, ille autem fortiter solo innisus clavam tollit, ad quoslibet sicarios beluasve infernas contundendas paratissimus. Prodit... ancilla venustula. Nempe mulieribus acceptus semper fuit Hercules; quem cum Proserpina modo audiisset ad ipsam maritumque visendos adesse, confestim amplas dapes parari iussit, iamque in cenam eum vocat. Praesto sunt pultis aliquot amphorae et bos assatus et panium placentarum avium piscium bellariorum quantum Herculi satis sit futurum. — „Huc modo „sequere, optime Hercules! Iam dudum expectat domina laetis „epulis exceptura."

Xanthiae non displicet res: actutum se adfore ait. Sed Dionysus non sic visum docet: serio nihil actum, iocatum se;... pellis et clava reddendae. Quod improbum heri consilium indignatus servus

— „En accipe igitur!"

clamat, dein sarcinis resumtis secum mussitans: „fortasse „tamen erit cum contemtissimi huiusce mancipii opella etiam „indigeas!"

Et sat cito par pari refertur Dionyso. Nam prius quam aedes intrare potuit, adsunt furiae suburanae, quas ianitor advocaturum se est minatus. Nempe genuinus Hercules tum, cum ab inferis rediit, cauponae cuidam nummos solvere neglexit. Quae comitante ancilla iam urget debitorem fraudulentum.

Impense gaudet Xanthias: „In malum se induit quidam."

— „Eccillum nebulonem, qui tunc in deversorio nostro sede- „cim illos panes devoravit."

— „Ita sane!... Et costas suillas viginti."

— „At deliras, o bona!" clamat Dionysus, quippe nullius culpae sibi conscius.

— „Siccine vero abiturum tibi putas? Nempe cothurnis indu- „tum non agnituram? Quid autem plurima ista salsamenta?"

— „Et casei recentes, quos cum ipsis sportellis deglutivit?"

— „Sic scilicet assolet" mulierculae in aurem insusurrat Xanthias.

— „Et furere se simulavit."

— „Agnosco indolem" pressa voce addit Xanthias.

At non missum facient furem scelestum; ad magistratum rem delaturae abeunt. Humili autem vultu et voce submissa Hercules sive Dionysus servum alloquitur:

— „Heus, Xanthia optime et carissime..."

— „Desine modo: novi cetera."

Precibus tamen permotus Xanthias talem se praestat ministrum qui ad pericula pro hero quaelibet subeunda sit paratus. Nam denuo sumit clavam et pellem leoninam.

Paene autem sero fuit. Ex aedibus enim iterum proruunt ianitor aliique duo Plutonis ministri scuticas quassantes. Quos clava strenue torta aliquantisper arcet Xanthias, dein pluribus ministris accedentibus fortiter pugnans superatur.

Quid autem Dionysus? Suaviter hercle ridens ille adstat et Xanthiae adversarios voce etiam stimulat.

Iam vero hero ut eam qua dignus est gratiam rependat Xanthias post varias fraudes nunc etiam magistratuum lictores in se incitanti, officium quidem, quod in se recepit, non detrectat, — nam caelites si agant improbe, servi certe fidem praestabunt! — sed Herculis illas partes religiose etiam servans mancipium suum mulieri iratae offert in quaestionem:

— „Si quid hic suffuratus sum unquam, misere dispeream! „En accipe servum hunce", — et Dionysum indicat: — „huic „tormenta quaelibet admove; gratis laedas licet. Qui si quod in „me fecerit indicium, moriar libens."

Iam vero deus rursus esse mavult Dionysus. — „Cave tangas me," clamat iratus simul et territus: „Dionysus sum!"

Ambone superi? Ianitori haeret aqua. Alternis igitur vicibus eos feriet, cui autem dolere senserit, hunc immortalem non esse sciet, quoniam ad caelites dolor non pertinet. At summa constantia postquam uterque flagra aliquantisper pertulit, plane

denique consilii inops ianitor „Huc igitur" ait „sequimini ad „dominum: is uter verus deus sit, uter fictus, dicito; nam „inter se norunt numina."

— „Laudo consilium!" sic Xanthias, latera vibicibus striata interim mulcens: „sed vellem prius in id incidisses!"

Tandem igitur Dionysus pervenit quo volebat, utque Euripidem dilectissimum poetam in lucem liceat reducere a Plutone haud difficulter impetrat ea condicione ut antea Aeschylo et Euripidi, thronum poetarum tragicorum praestantissimo debitum sibi vindicantibus ambobus, arbiter sedeat artis scenicae unus omnium peritissimus, quoniam nullus est qui plura quam ille spectaverit dramata. Nunc dirimenda est lis, quae in Plutonis regno extemplo exarsit Euripide mortuo, ne posthac denuo exardescere possit. Non enim in perpetuum in terris iam victurus est Euripides, sed serius ocius ad inferos rediturus.

Hic lectoribus animum advertentibus apparet commissura, qua fabulae stirpi inserta est novi inventi gemma. Quae licet artissime cum illa concreverit et laete efflоruerit uberibus succis nutrita, iuncturae tamen locus cerni etiam potest. Sed spectatores tum cum primum acta est fabula aut omnes aut longe plerosque eam fugisse veri est simile.

En igitur alter alteri oppositi stant poetae tragici, — hinc is qui pro patriae salute fortiter olim dimicavit et civium animis celsae artis opera admiratorum strenuam sui fiduciam ardoremque martium inflavit, illinc novi saeculi praeco, qui civitati in ultimo salutis discrimine versanti non habuit quod praeberet nisi dubitationum multiplicum impedimenta: vir cui etiam aetate provectiore permansit robor iuvenile, et qui senex natus est aevi recentioris filius. „O mox," sic chorus,

„O mox ira tonantis erit, gravis ira, poetae
„Conspicientis ut ille acuat dentem sibi sollers
„Aemulus; horribilis furor ex oculisque,
„Quos rotat, micabit, hic

„Dum mittit grave pondus et ardua Martis
„Tela, sed ille minuta infractaque ligna
„Artificis quibus eximii arceat illa
„Verba vere equestria.

„Horrens ille coma caput altaque colla tremendam
„Contrahet at frontem, rapietque haerentia clavis
„Verba velut solidis, iaculabitur atque
„Ore saevo mugiens.

„Tum lingua illa sagax operosaque dum sua frena
„Invida callida concutit huc illuc, minuet probe
„Artibus hisce quod ille labore creavit
„Maximo atque protulit."

Ut leo vel aper lacessitus in aemulum irruit Marathonomachus:

— „Mecumne certamen ineat ferus homo et incompositus et „verborum immanium ineptus iactator?" Sic Euripides increpat poetam, cui seni successit adolescens.

— „Istane de me dicteriolorum nequam collector, canticorum „inanibus tripudiis gaudens, mendicorum et claudorum patronus, „incestarum mulierum causidicus?"

Aemulos furore abreptos vix retinet Dionysus quin pugnis inter se invadant; tandem tamen persuadet iis ut oratione continua aliquanto magis sedata verba faciant de arte sua et in aemuli operibus quaecunque displiceant libere exponant.

Euripides igitur ridere incipit sesquipedalia illa verba, quibus Aeschylus spectatores obruere solebat, immania illa anicularum et puerulorum terriculamenta, plena armorum et minarum et strepitus, quae a nullis mortalibus poterant intellegi. Tragoediae curam cum in se recepit Euripides, turpiter obesa erat, bufonis inflati instar turgens verbis ventosissimis. Ante omnia igitur detraxit ei humores molestos tenui victu adhibito, utque macresceret corpus tumidum effecit versiculis et excursionibus et suco betarum. Potiones ei praebuit e praestantissimis sapien-

tum sententiolis extractas, dein ne iusto gracilior fieret, in amplitudinem decoram enutrivit monodiis. Non temere autem effutiebat quicquid in buccam veniret, sed artis sanaeque mentis legibus servatis initium faciebat a rebus quas spectatores scire necesse esset, et quicunque in proscenium prodibat — sive vir esset sive mulier, puerne an senex, rexne an mancipium esset nihil referebat: — eadem omnes erant dicendi peritia. Nempe popularem qui probat civitatis statum, nullam rationem habet discriminum, quibus inter se distant hominum ordines. Quaestiones autem tractabat quae cordi essent audientibus, quas cognitas haberent, de quibus sententiam ferre possent, — non priscas aliquas et inanes fabellas, quas nemo inter viventes curaret. „Alumnos modo quales utriusque ars tulerit spectate! „Ex Aeschyli disciplina prodierunt Phormisius ille barbatior „quam sagacior et Megaenetus suavis homo: bellatores clamosi „minaces pugnaces. At mei discipuli sunt Clitophon, vir urbanis„simus, et Theramenes e rebus quantumvis adversis salva cute „semper evadens."

— „Confitentem igitur te teneo!" respondet Aeschylus: „nam „e pomis cognoscitur arbor. Robusti longuriones mei erant aequa„les; qui galeam candidis cristis insignem quassantes et audacia „septemplice armati invaserunt acies hostiles, — perinde atque „septem illi duces Thebas oppugnantes et Patroclus et Teucer „et alii plurimi, quos in dramatis celebravi equidem. Non erant „similes transfugarum veteratorumque forensium et scribarum „hodiernorum. Poetae sunt adultorum magistri: verum hoc „unum dixit Euripides. Quid igitur cives docuit ille? Probi erant „et simplices: fecit morosos, molestos, inutiles. Non factorum „sed verborum fecit appetentes, non virorum studia severa sed „muliercularum amore sauciarum naenias curare iussit. Sic sub„nata est aetas nebulonum garrulorum, iamque ne nautae qui„dem triremis publicae tacere quid sit satis norunt."

Generatim postquam sic locuti sunt ambo, de singulis dramatum partibus fiunt verba. Euripides Aeschyli prologos cavillis lacerat: ille ludibrio habet prologos Euripidis. Cantica cuiusmodi

Aeschylus choro tribuere solitus sit, ridicule imitando docet Euripides: semper eodem redibant illa, soni erant vani sine sensu. Aeschylus deinde monodiam Euripideis similem se cantaturum ait, ut ostendat quanti faciendum sit illud eius inventum, quod ab ipso singularibus quibusdam laudibus celebretur. Sed lyra ab eiusmodi carmine abesto: talibus versibus alia convenit supellex musica!

Itaque advocatur cantricis circumforaneae nuper vita functae umbra, quae crepitaculis suis accinat Aeschylo novae artis specimen edituro de argumento a spectatoribus haud alieno quodque ab iis diudicari possit. Et est sane cuivis intellectu facile. Quod si vitae quotidianae verbis enuntietur, huiuscemodi sit: „materfamilias quaedam, quam dormientem oppressit insom-„nium, expergefacta gallum suum gallinaceum nusquam reperit, „dein advocatis lictoribus a vicina reposcit."

Haec igitur materies vere domestica tractatur in cantico tripartito, variis adhibitis artis recentioris lenociniis, qualia adamat homo nimis versutus, nimis callidus.

I.

„O caligo fuscicolor
„Noctis! mihi quam mittis lacrimosum
„Spectaclum e tenebris: Stygium famulum,
„— Vivebat, sed sine vita! —
„Genus nigrantis Orci
„Taetrum horrendumque adspectu!
„Tegimine cadaveris niger erat oculosque cruor
„Notat; heu digitus aduncus!

„At mihi ferte facem famulae cito,
„E fluvio situlis laticem petite et calefacto
„Ut sacram speciem facite abluam!

II.

„Io Rector aquarum!
„Derat hocce! Io inquilini,
„Agite: monstrum adest dirum:
„Rapuit vigilem avem meam fugamque
„Cepit Glyce.
„Monticolae, retinete
„Furem hanc, tene Mania!

„Ego autem misella solitas operas
„Sedebam exercens:
„Lino fusum oneratum
„Vol-ol-ol-ol-vebam manibus,
„Torquens glomus quod ad forum
„Surgente sole ferens
„Nomisma referrem!

„Species volat, heu volat ad nebulas
„Remigio levis alarum,
„Mihi mala misera mera manent;
„Lumina turgidula lacrimis,
„Misera misera ego, infelix!

III.

„O Cretaea proles Idae,
„Opem mihi ferte propere arcubus:
„Citate membra, o domum agiles obite istam undique,
„Deaque Dictynna pulchra Artemis simul
„Cum catellis suis cursitans eat eat per domum!
„Simulque tu, duplici face quae
„Splendida lumina quassas,
„Diva Hecate, comitare
„Ad Glyces, ut aedium secreta vestigem!"

Hoc igitur Euripides valet in arte lyrica. Miscentur caelum et terra et moventur arcana historiae fabulosae in re simplici et pervulgata enarranda. Caveae gallinariae cum instat periculum, diris praesagiis prius contristatur mens mortalium, ut tum cum Clytaemestrae vel Polyxenae proxima fuit mos; foras cum aberravit gallus, excitantur Diana et Hecate et nymphae montanae, ut lictoribus operam navent ad alitem domesticum recuperandum. Nam sagittipotentes quos muliercula dicit saltuum incolas, Scythae sunt illi tranquillitatis publicae custodes, quorum unum in Thesmophoriazusis induxit poeta comicus.

Iamque singuli aemulorum trimetri in libra perpenduntur, Euripidis autem multo leviores apparent, qui gravem tandem versum postquam lanci iniecit:

„Ferro gravatum corripit fustem manu"

multo etiam graviorem Aeschylus alteri lanci nihil cunctatus inicit:

„Axis gravatur axe, corpus corpore."

Ecce autem e regia cum ministris prodit Pluto.

— „Utrum igitur pluris facis, Dionyse?"

Dubius animi male haeret hic. Nam ad Euripidem petendum venit et huic promisit secum se reducturum, ... sed ambos postquam vidit et audivit, magis placet Aeschylus. Itaque aliud etiam experimentum ut tentet, rogat utri melius sit consilium, quo rem publicam adiuvet; de Alcibiade igitur quid videatur? Nam civitas quid velit ipsa nescia

„Desideratque oditque, non vult, vult tamen."

Euripides fidum regiminis popularis se praestat sectatorem. Bonus civis non est Alcibiades:

„Civem improbo, qui lentus ad patriae bonum
„Accedit, at cum fert malum magnum celer,
„Semper sibi, sed nunquam habens patriae viam."

Maius mentis acumen est Aeschylo. Non sane bonus civis est ille vir, sed est ... Alcibiades! Alia caniculae Melitaeae, alia leonis catulo est indoles:

„Catulum leonis haud alat res publica,
„Aut velit adulti gerere morem moribus."

Etiam dubitabundus Dionysus: „Servari autem patria quomodo potest?"

Prudentis hominis verba sunt quae respondet Euripides:

„Infirma quae nunc quando firma ducimus,
„Quae firma sunt infirma."

— quamquam non admodum sunt ea clara aut aperta. Nam quod vult hoc est: ad veros amicos animum convertendum esse denuo, ab improbis autem melius cavendum. Sed superest rogare quinam igitur sint sinceri illi amici, qui subdoli. — Minus dein incerta respondens Aeschylus id commendat quod pridem commendavit Themistocles, postea Pericles:

„Terram hostium simulac suam putaverint,
„Suam hostium, navesque verum duxerint
„Reditum suas, sed inopiam reditus novos."

A viribus omnium unitis et quam maxime intentis salutem etiam licet sperare, non a barbarorum stipendiis!

Iamque sententia Dionyso tandem aliquando ferenda. Cui Euripides

„Me, me, precor — testes promissorum dei! —
„Tecum iube redire; nunc standum est fide!"

acclamat etiam prius quam verba fatalia pronuntiet. Et ... decernit Dionysus:

„Iurata lingua, — praefero sed Aeschylum."

Nempe commode dramata Euripidea memoriter tenens recordatur Hippolyti verba:

„Iurata lingua: mansit iniurata mens."

— „Pro pudor!" Euripides clamat, ut Aeolus olim Euripideus compertis filii cum sorore germana amoribus:

„Post turpe factum ante ora mihi etiam venis?"

At Dionyso non diu est quaerendum quid respondeat. Nempe id quod Macareus filius nefarius patri respondit irato:

„Quid turpe, qui fecere si non turpe habent?"

Sic postquam spretus poeta spe, quam certissimam tenere se putabat, necopinatus excidit, flebili voce etiam precatur:

„Siccine relinquis, dure, nocte in frigida?"

Iam vero minus etiam — si potest minus — incertum est Dionyso, preces illae quomodo possint renui: „O bone, frigidam „noctem quid quereris! Tuorum ipsius modo verborum recordare:

„Quis novit an mori sit hoc quod vivimus,
„Et ipsa mors vita an habeatur inferis? —

„Hanc tuam Socratisque sapientiam habe tibi servaque sepulcro: „profuturam spero!"

Aeschylus igitur cum Dionyso in huius vitae lucem redit, inferna sede concredita Sophocli, qui sedulo cavere iubetur ne versutus et fallax iste nebulo insidere possit.

Usque ad ultimos autem fines regni Plutonii deum et poetam abeuntes chorus animarum beatarum laeta pompa est prosecuturus, ad carminum ipsius modos martio ingressu comitatus. Et munuscula quaedam Aeschylo tradit Pluto e regione, unde vix quisquam rediit unquam, ad cives quosdam perferenda. Cleophonti viro bellicoso et inde ab anno 411 partium popularium duci ensem, Archenomo Adimanto aliis venena et laqueos mittit, quid ista velint intellecturos ratus. Cunctos brevi in suam dicionem coacturum se sperat.

Cleophon homo ut inconsultior fortasse et temerarius, ita probus et patriae amans, paucis mensibus post per speciem quandam iudicii e medio est sublatus; Adimantus ad Aegos potamum naves hostibus aut tradidit aut prodidit...

X.

Sic in exitu fabulae, quae hilarissimum habuit exordium, striduli quidam soni malorum praesagi interstrepunt verba, quae laetioris sunt augurii.

Hilarumne exordium?... Quis neget! Hilarum sane et facetum et tranquillae laetitiae nitore quodam perfusum! Sed tamen alii quoque in prima illa fabulae parte percipiuntur soni. Nam iter ad inferos cum initurus est Dionysus, effertur homo quidam mortuus; quem sic alloquitur:

— „Manedum, o bone! Vin' sarcinas aliquas deferre ad Acherontem?" — conquestus enim est Xanthias nimis gravia esse impedimenta.

— „Duasne drachmas solvis?" rogat mortuus.

— „Non ego!"

— „Ergo pergamus."

— „Sesqui drachmam sume."

— „Reviviscam prius!"

Nullus profecto tam tristis, tam severus est inter legentes, quin risum ei extorqueat ludicrum hoc poetae inventum; nec dubium quin altos olim audientibus moverit cachinnos! Attamen quam lugubris est ille iocus! Nihil eiusmodi iuveni Aristophani ne tum quidem in mentem venit cum saeviente pestilentia innumera in civitate fuere funera quotidiana, tum cum vix inventi sunt qui mortuorum corpora in ultimam sedem deferrent et ingentis sepulcreti similis fuit urbs. Iam vero vir maturior hanc quoque satis aptam habet iocandi materiem neque spectatoribus ne ea displiceat veretur. Perpetuo nimirum ob oculos his annis versata mors exuta maiestate etiam ludibrii aliquid praebere posse videtur.

Hoc quoque poetam manifeste fugit, manium sedes cantui risuique haud ita aptum praebere locum. Musa nimirum comica, quae olim in patriae carissimae solo aprico laeta lasciviit, dein e vitae quotidianae tristissimis turbis evolavit in lucis solisque regiones immensas, ad umbrarum regnum tandem descendit, ut illic quaereret id quod in terris non iam compareret. Non sane fronte corrugata defixisve oculis illuc descendit, — immo quacunque incedit illa, artis lumen et decus secum trahit! — descendit tamen. Laeta saltatio, quam chorus ducit cum primum adspicitur, mortuorum est saltatio; canticum illud festivum mortuorum est canticum, licet funebre habeat nihil neque ossium complosorum aliqui soni percipiantur, ut in artis hodiernae opere notissimo [1]). Non etiam res futuras prospicit comicus, sed prae-

[1]) Saint-Saëns, valse macabre.

teritarum delectatur memoria. Tellus habet quae reverentia ei digna sunt visa.

Dionysus reverentia dignus ei non videtur. Quem iocis petivit petulantissimis et quicquid in Avibus fabula de Olympiis dictum est audacia longe superantibus. Nam magis ignavus magisve gloriosus, magis improbus suive amantior esse non potuit quisquam inter „Euripidis admiratores" quam ridiculus hic est deus; qui cum a Plutonis ianitore flagris caeditur, minime indignantur spectatores callido mancipii artificio vapulantem, sed meritissimum plecti gaudent, risu paene emorientes. Deus autem vix est; nam „ad deos dolor non pertinet", iste vero Dionysus dum baculo male mulcatur, vix compescit clamores dolorem indicantes. Euripidis scilicet placitum illud:

„Si quid scelesti diis placet, non sunt dei"

in comoediae dictionem sic conversum movet admirationem, et comicum poetam a tragico, quem boni nihil habere perhibet, propius distare nunc quoque apparet. Nam ex Aristophanis mente nisi radicitus evulsa esset deorum reverentia, qua puer fuerat imbutus, neque voluisset neque potuisset tam libere, tam proterve iocari de deo, cuius die festo acta est fabula, sacerdote Dionysi more solito spectante e media primi ordinis sede honorificentissima.

Non nimis severe diudicanda sunt talia, non nimis inique ferenda, ... aliud est pondus facetiarum quas protulit comoediae ars procacissima, aliud sententiarum ab Euripide de rerum natura ipsisque deis in dramatis prolatarum, ... sacrilegii nihil ioci isti habere videbantur ...

Verissime profecto haec omnia! Sed quod sacrilega talia non sunt visa, — quod non solum impudentes aliqui cachinnones, sed etiam vir tam culti ingenii quam fuit Aristophanes, duxere licita et innocua, id ipsum est quod admirationem legentibus hodie incutit, et in ipsius poetae mente quam multa volventibus annis mutata fuerint luculenter docet. Anaxagoras propter spretum deorum cultum incusatus est, Socrati in fatis fuit ut

eodem mox crimine peteretur mortemque lueret, Alcibiadem in civium odium ultimumque opprobrium adduxit mysteriorum inter amicos per iocum violatorum rumor incertus, — et tamen Dionysus ludis publicis in ipsius honorem religiosissime celebratis ab Eupolide exhiberi potuit imbellis, stolidus, armis uti sub severo centurione discens, ab Aristophane improbus et mendax et quodlibet perpetrans quo flagris se praestaret dignissimum.

O varium Atheniensium ingenium et in contraria semper aestuans!

Nihil erat in arte Euripidis quod Aristophani laude videretur dignum, nihil certe quod sciens lubensque laudaret. Sic fieri potuit ut comicus Euripidem cum fingeret suis ipsius telis confossum, etiam eiusmodi versus usurparet ex eius dramatis desumtos, qui, nisi accederet studium quaelibet vituperandi, non potuerint improbari. Sic verba

„Iurata lingua: mansit iniurata mens!"

cum e contextu evulsa sic nuda proferuntur, iuramentorum sanctitatem et fidem tollentis videri possunt. At quis ea dicit? Non ipse profecto poeta ex animi sui sententia ita locutus est ore alicuius herois, sed Hippolytus tum cum indignatione furens quid diceret vix etiam sciret „Imprudens" — ait — „taciturum „me promisi, non iuraturus si rei quae agebatur vel minima „potuisset esse suspicio!" At postquam ad se rediit, iusiurandum quantumvis incaute datum sanctissime servat, turpissimi flagitii insimulatum a patre devoveri et in exilium trudi se patiens prius quam fidem iuratus violet. Quam animi firmitatem casto amore ei rependit Diana. Itaque fundamentum dramati substructum est religionis conservandae officium, et Euripidis delicias Phaedram dum miseramur et paene diligimus veram feminam, ut etiam Hippolyti calumnia oppressi aliquam habeamus curam quantumvis sibi placentis utque insontis doleamus interitum, ipsa ea efficit fidei servandae constantia, quae testatur non verbosum tantum esse sed et generosum.

„Quis novit an mori sit hoc quod vivimus,
„Et ipsa mors vita an habeatur inferis?"

— haec quoque verba Aristophanes perinepta aut censuit aut simulavit se censere; sed revera censuisse videtur. Plus semel ea risit, et in Ranarum fabulae exitu cum chorus spectatoribus hoc cantico valedicit:

„Placeat haud cum Socrate
„Serere ineptias quibus
„Pereat omnis musica,
„Pereat omne decus amoenum
„Dulcis, heu, tragoediae.
„Hominis illud mentis est
„Debilis, in nugis canoris
„Nihil agentem, disputantem
„Terere tempus aevi"

— huiuscemodi potissimum cogitat Euripidis sententias inepte, ut arbitratur comicus, philosophantis. Nobis vero poeta tragicus secum colluctans, dum vitae mortisque aenigmatis angitur pectus, — nam ipse profecto Euripides hic loquitur, — haudquaquam videtur dignus qui a comico illo Dionyso habeatur ludibrio. Talia verba rideri non debebant. Salsissime sane ab Aristophane sunt derisa, et dum ridemus, indignationi in mente nostra non est locus; sed poetam tragicum improbandi iusta causa hic est nulla.

Alia Macarei novorum morum praeconis est ratio.

„Quid turpe, qui fecere si non turpe habent?"

— quis est qui vituperet me cum sorore rem habentem, si ipsis nobis vituperanda ista non videantur?

Etiam Antigona spretis hominum legibus naturae vocem est secuta, sed recti sibi conscia secuta est, deorum iussis ut obtemperaret pectori humano insitis et per omne aevum, non in breve aliquod temporis spatium valentibus. Macareus vero caeco animi impetu ruens id fecit quod fieri cum mortales tum immortales vetuerunt, id quod rerum naturae non esse consen-

taneum inter homines constat. En igitur non „*hominem*", quem dicebat Protagoras, sive hominum naturam et indolem cunctis propriam, sed „*hominem quemlibet* rerum modulum". Singulorum autem iuribus cum postponitur ius commune, nec nisi eatenus valent mores quatenus convenit mortalibus nullas nisi sibi ipsis rationes debentibus, reditur ad vitae illam feritatem, unde genus humanum emersit olim in cultum civilem; nam aevi recentis alumnus, qui ultra boni malique fines illuc pervenit ubi licet quod placet, non discrepat a priscis cyclopibus Homero celebratis, qui cum nondum didicissent rectum discernere pravo, neque divinarum neque humanarum legum ullarum cura habita suo vivebant arbitratu.

Vitiosum hunc morum humanorum orbem intimo corde perosus poeta comicus Macareum Euripideum hanc potissimum ob causam abominabatur, quod nusquam clarius quam in illo heroe tragico appareret quam perniciosa tragoediae essent studia iudicialia.

„In longinqui maris insula quadam Aeolus ventorum arbiter „vivit cum sex filiis et sex filiabus. Cuius ampla regia interdiu „cantu et saltatione resonat, dum lautis epulis rex cum suis „perfruitur; omnes enim in ipsius aedibus habitant. Vespera „autem cum venit, in sua singuli cubicula discedunt cum uxo„ribus; filias enim filiis in matrimonium dedit Aeolus." — Sic in Odyssea narrabatur; e sanctarum igitur fabularum orbe haec erat; erat una e micis, quas Homerum de plena mensa delapsas tragicis poetis sublegendas reliquisse dicere amabat Aeschylus. Vel, ut sine imagine loquamur, tragoediae apta erat materies. Quomodo autem hoc argumento usus est Euripides? Fecit inde drama furoris et sceleris plenum, lacrimis et sanguine scriptum: amoris celebravit vim invictam et eos quoque parietes perfringentem quibus natura saepsit familiam. Non fabella ei fuit simplex et ex ea regione vel ex ea aetate desumta, quae matrimonia a fratribus cum sororibus inita nosset et probaret, sed amoris incesti exemplum tristissimum. Non cum Iunone Iovis sorore et uxore comparavit Aeoli filiam fratri in prisca fabula nuptam,

sed cum civium suorum moribus, — veri quippe appetens neque heroinas heroesve eos, qui extare nunquam potuissent, in proscenio exhibere cupiens, sed homines humana cogitantes et agentes, homines quales sunt. In Atheniensium autem ea civitate, quae fuit saeculo quinto exeunte, soror fratri amore iungi non poterat sine turpissimo contra bonos mores ipsamque pietatem delicto; dementium talia erant et caeco libidinis furore aegrotantium. In eam vitam, quam vivebant poetae aequales, postquam aberrarunt Macareus et Canace, neque mens iis alia potuit esse neque sors, atque filio et filiae Iusti illius civis vel Vinitoris Aristophanei futura erat, si incesto amore inter se amarent. Ignoscere igitur non potuit Aeolus liberis, qui tam portentosum in se admisissent flagitium, — nedum id probaret! — prolem foedo coniugio genitam non potuit non abominari, matrem istius prolis vita habuit indignam ... et morte puellae miserrimae finitum est drama, cuius initium fecerat dirus furor mortalium amore occaecatorum.

Non quod apud Euripidem iuvenis amore efferatus talia fere diceret qualia in Nubibus fabula alumnus sophistarum, sed quod homo animo saucio impotenter furens, quales ipsius poetae aevum nimis multos ferret, primarum partium in dramate tragico esset factus et in turpe flagitium adolescentis caeca libidine incensi mutata esset fabula simplex, quam praebebat carmen vetustum, id graviter ferebat poeta comicus, et optimo profecto iure ferebat. Nam eo si pervenisset Euripides quo vocabat ingenium, ex ipsa aequalium vita desumsisset dramatum materiem, priscarum fabularum historia relicta, — sive a civibus probaretur ea mutatio moris longo usu consecrati, sive non probaretur, — et sic perfecisset opus a musa sibi mandatum. Nunc novi saeculi artem eminus tantum vidit et viam ei paravit. Non quod delicta mortalium saevis animi affectibus abreptorum in dramatis ostendit, sed quod Macareum et Canacen et Aeolum vocavit homines illos nimis humana passos cothurnosque iis induit, id est quod exprobravit ei Aristophanes, ut inclementer sic festivissime carpens.

Mansit igitur poetae comico de Aeolo Euripideo sententiam ferenti ea mens, quae fuerat ante annos viginti. Meminimus in Nubibus patri et filio e Meditaculo recenti, dum de bonis litteris acrius disputant, rem ad pugnos devenire; ipse Strepsiades spectatoribus tunc quid factum esset sic enarrabat:

„Laeti cum accumberemus mensae secundae, heus, aio, puer, „Simonidis iam aliquod carmen mihi canas velim. — Apage, „pater! sic ille: inter pocula egone canam? Non est id cultio„rum hominum. Et Simonidem in poetis quis etiam numerat! — „Ex Aeschylo igitur recita aliquod soliloquium. — Ex Aeschylo „scilicet, tumido clamatore, neque dictionis neque compositionis „perito! — Movebatur stomachus, sed etiam retinens me: quin „igitur, aio, e poeta recentiore magisque tibi accepto profer „quod libet. Coepit ille Euripidis recitare versus turpissimos de „fratre cum sua ipsius sorore rem habenti. Aurem praebere „nolui: verbis contendimus, dein manibus, mox sum contusus „et paene elisus."

En Aeolus drama Euripidis in paucis carum iuveni scelesto, qui apud Socratem didicit neque parentes esse colendos neque deos, leges autem non ut serventur fieri, sed ut violentur [1]).

Haud exigui momenti hasce quaestiones Aristophani esse visas neque est quod miremur neque quod improbemus, sed agnoscimus virum bonum et prudentem et verum poetam.

Alia sunt in arte Euripidis, quae minus nos tangunt sero natos nepotes quam olim tetigere comicum. In canticis etiam simplicissimis syllabas quasdam binis sonis proferri, iterari verba nonnulla vel etiam enuntiatorum aliquas partes, haec usu hodie adeo sunt recepta, ut credere vix possimus fuisse aevum quo nova atque inaudita viderentur talia veraeque arti parum consentanea. Itaque miros paullisper nos habet illud „vol ol-ol-ol-olvens" vel „misera misera" aliaque eiusmodi ad Euripidis

[1]) Etiam postea Aristophanes Euripidis hoc drama risit in Aeolosicone, item Antiphanes in Aeolo suo.

modos musicos deridendos ab Aeschylo Aristophaneo prolata. Mox vero sentimus non tamen de re pusilla innocuisve aliquibus vocis modulationibus disputari, sed id agi utrum linguae an gutturis in arte scenica futurum sit regnum, nam quae dictionis ancilla olim fuisset musica, suum iam sibi ius asserere, mox superiorem futuram et poetarum verba lenociniis aurium servire iussuram.

Ante paucos annos poeta quidam Aristophanis aequalis e sepulcris Aegyptiacis resurrexit post multorum saeculorum oblivionem, iamque Timothei nugas numerosas perlegens qui secum reputat nomi lyrici ab ipso poeta accinente lyra cantati olim et saltati haec esse verba, dein canoros hos de pugna Salaminia versiculos confert cum eadem materie septuaginta annis antea ab Aeschylo in Persis dramate tractata, is penitus persentit cur comico nostro bilis coeperit turgescere, ut primum coram ipso commemorarentur nova modorum musicorum lumina et incrementa. Nempe sancta quae ei erat ars poetarum, eam sede honorifica detrudi videbat in sonorum inanium ministerium. Pessime displicebant ei recentium versificatorum conamina, sed gravius etiam oderat artificia cantorum: multiplici illo strepitu deleniri fortasse aures, obtundi mentem; iis potissimum poetis esse utilem qui quod dicerent non haberent. In Nubibus fabula olim inter novorum numinum cultores iuxta medicos circumforaneos et astrologos aliosque impostores etiam poetas dithyrambicos recensuerat Aristophanes, eodem videlicet iure cunctos istiusmodi artifices habens, sive dexteritate articulos aegrotos depsendi, sive magicis quibusdam incantamentis, sive gutturis digitorumque mobilitate captarent homines et nummos sibi quaererent. Neque enim sanum corpus neque sanum carmen talibus indigere praestigiis. Simplici veste musam decoram satis: novae artis varium ornatum meretrice dignum vel anu iuventutem ementita.

IV. De poeta sene.

I.

Fabula, cui Ranarum nomen ridiculum Aristophanes indidit, aliquanto maiore iure oloris canticum dici potest. Est enim valedicentis. Valedicitur civitati Pericleae et postremum percipitur vox chori de rebus publicis quid sentiat libere aperientis.

Per tredecim dein annos silet nobis musa iocosa. Nam quas qualesque per illud temporis spatium poeta fecerit fabulas nescimus. Deperditarum aliquot nomina habemus cognita, etiam unum et alterum fabularum his fortasse annis natarum, et plurima supersunt fragmenta; sed certi nihil tenemus et inutilior vix ullus est labor quam de operum ignotorum compositione vel indole disputandi.

Id scimus, illo tempore poetam vidisse patriae interitum.

Obsidione urbs est oppressa et famis diros cruciatus tolerarunt cives, donec etiam perferre non potuerunt. Tum celsis Athenarum porticibus et templis marmore candentibus, tum Parthenoni et Propylaeis ea sors instare visa est quam ipsa Atheniensium civitas Aeginae et Mitylenae, Scionae et Melo et aliis urbibus multis paraverat olim. Sed in hostium consilio de fato urbis, quam Pindarus Graeciae arcem et decus dixerat, deliberantium sententia praevaluit mitior. Non enim ab exteris Athenas „inclutas et candidas et violis coronatas" in perniciem

trudi voluere dei, sed ipsarum filios odio capitali inter se iugulare. Portae postquam apertae, naves ultimae deditae, moenia deiecta, rerum potiti sunt triginta illi viri, quos triginta tyrannos aetas recentior liberiore quodam loquendi usu sed aptissimo utique nomine designavit. Nam tyrannidem qui ultimum malum et opprobrium duxerant Athenienses libertatis amantissimi, quod ut fugerent identidem praestantissimos cives solum vertere iusserant, novus ne exsurgeret Pisistratus sedulo semper et anxie caventes, — qui in Alcibiade tyrannum futurum nuper quam maxime reformidaverant, ... his triginta iam domini pro lubito iussa dabant vere tyrannica. „Populi devoti superbiam" hi fregerunt cum civium caede plurima. Mille et quingentarum vitarum pretio Athenis constitit optimatium regimen [1]), et pristinae classis navalia demolienda vendiderunt triginta illi boni viri, quibus iam concredita est civitatis salus [2]). Nempe redibatur ad prisci aevi studia! Finis erat status popularis et finis dominii maritimi ...

Aristophani si quid etiam restabat de candida fide, quam optimatium promissis olim habuerat, — et annorum iuvenilium opinionibus quid vivacius! — tunc etiam ultimas illas reliquias amisit. Muri celsi et firmissimi, quibus Athenae Piraeo iunctae et in quinque horarum ambitum circummunitae fuerant, cum iussu victoris deicerentur, flebili illi ruinae tibiis accini iusserunt factiosi homines, quorum summa iam in miserrima civitate erat potestas, tanquam si laetum aliquod sollemne celebraretur. Et ipsis profecto dominationis hoc erat initium. Sed non laetatus est Aristophanes cum exulibus a Lysandro reductis propter bonorum virorum — quo nomine ipsi se praedicare solebant — hanc prosperitatem patriae luctuosissimam. In Ranis fabula ore coryphaei iusserat cives urbe pulsos revocari, multos tum cogitans quibuscum familiariter antea consuevisset, sed ipsius praesertim civitatis cogitans salutem et consilium quod huic profore spera-

---

[1]) Isocr. XII § 67, XX § 11, IV § 113, Aeschin. III § 235, [Ar.] Rep. Ath. 35 § 4.
[2]) Isocr. VII § 66.

bat ex animi sententia commendans. Iam evenerat quod speraverat, — at aliter quam speraverat! Redierant exules, sed patriae nullam quietem aut felicitatem attulerant redeuntes. Et magno sinceroque amore Aristophanes patriam amabat, isti vero homines non nisi ipsi se ipsos amabant. Civitatis temperamento perniciem attulisse maris dominationem, maximo cum rei publicae detrimento remum rastro et hasta potiorem factum, puerum Aristophanem docuerant seniores, et fuerat cum iis assensus „utinam mari abstinuissent Athenae!" clamaret. Sed si qui sui ipsorum tantum commodi habita ratione optabant ut maritima ista Athenarum potestas quantocius interiret, malignis istiusmodi votis haudquaquam erat adstipulatus. Imo Iustus ille civis, quem in Acharnensibus fabula induxit, nautas vocabat „civitatis sospitatores", et patriae salutem Aristophanes multo pluris faciebat quam civium quorundam aut lucra aut detrimenta. Athenarum decus suum ipsius ducebat decus, iam vero cedere et caput submittere civitas iubebatur. Quae ne incautius progressa in praerupta incideret cavendum esse anxius olim ipse monuerat identidem, cum alia ex aliis serebantur consilia et novae semper inibantur expeditiones; at recedendumne erat nunc? Quorsum autem recedendum? In vetusti scilicet temporis illas angustias terrestres, ut Athenienses suspicerent Peloponnesios, qui sibi pepercissent deiectis et libertatem aut libertatis umbram concessissent. Lacedaemoni patriam amicitia denuo iungi poeta quam maxime optaverat iuvenis, ut viribus unitis Graeci obsistere possent hosti avito: nunc Lacedaemoni subiectam videbat, neque illi quam amaverat et admiratus erat, sed Lysandreae isti Lacedaemoni, auri quam laudis magis avidae, opibus magis affluenti quam viris. Nam non nisi pauci etiam supererant nepotes Spartiatarum illorum, qui Leonidae Pausaniaeque praesto fuerant [1]).

Et Atheniensium, quos Miltiades in victoriam duxerat, propago ubi erat? In sepulcris potissimum, in campis longinquis,

[1]) Xen. Hell. III 3.

in maris fundo quaerenda erat; extinctae erant multae e gentibus nobilibus. Homines etiam plurimi erant Athenis, sed leto data erat melior civitatis pars, Marathonomachorum genus illud, quod ex ipsis Atticae arvis procreverat [1]).

Triginta viri cum civitatem per menses aliquot caede et rapinis miscuissent, pulsi sunt et regimen populare est restitutum, sanctissimo autem iureiurando inter se obstrinxerunt Athenienses, concordi exinde animo se rem publicam gubernaturos, deleta rerum praeteritarum memoria. Finis erat turbarum civilium; sed sero venit ea quies, nam Sparta iam in Graecia dominabatur, Atheniensium civitati succisi erant nervi.

Torpebant illic res publicae, et praecipua iam cura erat diaria quaerendi. Athenas aetate Themistoclis prosperas reddiderat ager bene cultus, Periclis aetate ditaverat classis: Thrasybuli civibus aequalibus classis non erat, ager autem misere neglectus iacebat. Careri iam non poterat auro barbarorum, libentissime autem Persia, ut olim Spartae subsidia praebuerat ad debellandas Athenas, sic nunc adversus Spartam nimis prosperam opem tulit Athenis, non amplius videlicet sibi metuendis. Itaque anno 394 moenia Athenarum restituta sunt munificentia Artaxerxis, qui quinquaginta talenta — tantum fere quantum peplo Minervae impenderat olim Pericles — ex aerario suo praebuit. Iamque erecta denuo civitas Atheniensium Spartae stabat opposita, pristinis autem inimicis Thebanis et Corinthiis sociata.

II.

Etiam minus tunc quam olim poetae comico placuerunt civium in re publica capessenda consilia. Sed dudum didicerat talia aversari, et placiditatis aliquid ei attulerat aetas maturior. Novae autem quaestiones illo tempore moveri sunt coeptae, novis studiis animi hominum incendebantur; quae ipsius quoque oculos in se converterunt.

---

[1]) Isocr. VII § 88.

Nam in civitatis moribus et institutis haud pauca mutari oportere magis magisque persuasum fiebat omnibus, qui patriae bene vellent necdum spem posuissent. Prisca autem qui restitui etiam iuberent nulli erant; nam pons ille, per quem ad Cimonis Solonisve aevum rediri posse Aristophanes olim cum aliis putaverat, diffractus sub ruderibus sepeliverat mortales male credulos, qui illac tetenderant. Sed nova appetebant plurimi; rei publicae temperamento qualia nocerent, suo damno didicerant Athenienses: sedulo iam quaerebantur quae prodesse possent.

Neque defuere qui consilia proferrent non rogati! Nam morbus quo est sanatu difficilior, eo plures habere solet medicos, certum remedium praebentes omnes, aliud autem alii. Sed praeter sciolos loquaces et rabulas circumforaneos, etiam viri graves et prudentes et patriae vere amantes de publicae privataeque vitae rationibus emendandis cogitarunt et disputarunt. Quorum mentibus quae versabantur cuiusmodi fuerint, docet praeclarum de re publica bene instituenda colloquium, quod Socrates Platonicus et nonnulli ex aequalibus habuerunt in Cephali aedibus.

Senescens autem poeta comicus dum adspicit cives vilia et humilia sectantes, vilia ancipitisve potestatis remedia venditantes ad patriae ulcera sananda, novo ardore poetico incensus opus quoddam ante annos viginti susceptum continuat. Nam in Mulierum Divortio a feminis servatam ostenderat rem publicam: a feminis gubernatam iam monstratum ivit. Sed non ea mente hanc finxit fabulam, qua priorem illam finxerat; alia feminis consilia et facinora quadragenarius tribuerat, alia tribuit sexagenarius. Ingenium nihilo minus acre, nihilo minus festivum nunc ei est quam tunc fuit, sed non iam percipiuntur tenerioris affectus illa signa, quae devinctos olim tenebant spectatores: luctus vel lacrimarum ne levissimam quidem suspicionem movet vultus ridentis, rictui nonnunquam similis. Ludibrio habet rerum publicarum et domesticarum statum praesentem, meliora non ostentat: nempe quod proponat suadeatve non habet, habet tantum quae improbet atque contemnat. Mulieribus quod etiam in nova fabula locus assignatur praecipuus, non optimis indolis

femineae donis id debent, sed aliquanto inferioris ordinis virtutibus, munditiae et arti culinariae: viri scilicet hodierni humilia sola student, humilia ferunt sola. Priscis Atheniensibus quae cordi fuere, neglecta iam iacent; concidit ardor ille dominandi: cives poetae inter Graecos primi neque ut fiant neque ut videantur etiam operam dant, sed more oppidano de victu potissimum disceptant. Talibus maritis quid opus uxoribus generosis! Requirunt dispensatrices parcas, vitae vilis consortes humiles.

Iam satis diu Athenienses funditus perturbarunt res publicas, et quam civitatem a barbarorum insolentia olim vindicarunt Marathonomachi, barbaro ea auro vix iam sustentatur. Ad feminas igitur patriae moderamen deveniat oportet. Nam quae aut sola aut ante alia nunc petuntur, panis et otium, domesticae profecto sunt curae et muliebris potius quam virilis.

Hodie populus conveniet, nec dubium videtur quin plurimi, ut assolet, adfuturi sint cives... qui mercedem suam accipiant. Aliis enim condicionibus quam olim nunc habentur comitia. Gratis tunc de rebus publicis deliberabatur publice; ius id erat honorificentissimum,... et quam alacres tunc cives in comitia convenire fuerint soliti, ostendit Pnyx vacua Acharnensium fabulae initio. Nuper vero honor ille sterilis in beneficium abiit, nam perlata est lex ut comitia adeuntibus — perinde atque iudicibus — solveretur trinummus,... iamque certatim illuc confluunt omnes. Populus ille, quem „tyrannum" oratores olim dicere solebant, mercenarius iam est factus.

Et qua de re hodie cum populo agetur? — Ad deliberationem „de civitatis salute" Athenienses senatus convocavit.

Adest igitur mulieribus opportunitas exequendi consilii nuper, cum solae sine viris diem festum celebrarent, initi. Quae nocte intempesta postquam furtim e domibus prorepserunt, lucernas tenentes, conveniunt ante aedes Praxagorae, mulieris strenuae et aetate florentis, quae callidi consilii extitit inventrix. Maritorum pallia, soleas, bacula secum attulerunt clam detracta; praeterea barbas facticias sibi pararunt, et solae cum domi

erant, radiis solis quam diutissime poterant exposuerunt corpus, ut coloris virilis aliquid indueret cutis candidior. In cachinnos quidem prorumpunt cum inter se adspiciunt, nam perquam ridicule ab oribus nimis glabris abhorrent barbae nimis nigrae, minime tamen detrectant susceptum; et artis concionandi postquam fecere periculum, — quippe rerum comitialium parum hactenus peritae, — per plateas urbis etiam vacuas et obscuras Pnycem petunt virili sumto habitu et strepitu vere virili. Nempe estinandum est: adsint illic oportet sub diluculum et priusquam conveniant viri, ne ab his sedium ordines primos occupatos reperiant, dein inter eos considentes agnoscantur.

Verba factura est Praxagora, ceterae ei adstipulaturae. Quae quid sit iussura, novimus; nam modo, cum mulieres dicendi facerent periculum, id est prolocuta. „O cives, capite laborans „civitas nostra quotidie erroribus se induit, quid velit nescia; „ipsi autem cives quid velint nimis bene norunt omnes, suo „ipsorum nimirum lucello unice intenti. Feminis igitur mandetur „summa rerum; quae non tam sunt variae et mutabiles quam „viri, sed pergunt nunc perinde atque olim onera sua gestare „et cibum coquere et sollemnia obire et maritos vexare. Quae „quidni publicis commodis aeque bene invigilent atque privatis! „Illis permittite patriam et salva erit." — Haec si vicerit sententia, ipsa Praxagora civitati praeerit, in incertum rerum eventum ab amicabus dictatrix dicta.

Aliquantisper postquam fuit silentium, Pultispex Praxagorae maritus annis provectior — quem diaria potissimum curare docet nomen — foras ruit consilii inops, item mox alius civis e domo vicina. Nempe primo mane cum consurrexissent, comitia quam primum adituri, lecto relicto neque vestes suas invenerunt neque quae ipsis anquirerent uxores. Vicinus mox domum suam intrat denuo, ut accuratius etiam quaerat amissa; Pultispex vero, qui uxoris amiculo multicolore humeros utcunque habet involutos, — in tenebris enim aliud non repperit vestimentum, — tertium quendam civem Chremetem alloquitur per plateam ceteroquin desertam prodeuntem:

— „Heus tu, undenam multo mane?"

— „E comitiis videlicet!"

— „Iamne igitur finita?"

— „Immo dudum! Concio fuit amplissima. Notos quidem „non multos vidi," — nec mirum, quoniam maritis mulierum coniuratarum vestes non fuere praesto, — „sed a fronte sedebat „ingens quaedam caterva homuncionum pallidorum: sutores dice„res. Primus autem ad verba facienda surrexit lippus iste Neo„clides. Cui audientiam facere cives noluerunt, sed: Tune de „rei publicae integritate? acclamabant: prius fac integri tibi „sint oculi! — Dein ad suggestum accessit Euaeon prudentis„simus mortalium. Tunicatum putabamus; pallio tamen indutum „se aiebat ipse."

Probus hic vir afferebat remedium quoddam ad cuncta patriae mala sananda sufficiens, de commodo publico tum quoque sollicitus cum ipsius vestis misere lacerata de humeris paene diffluerent. Erat autem unum omnium simplicissimum illud quod tenebat remedium. „O cives", ait, „singulorum curam habeamus cuncti!" Dein hinc exorsus tulit sententiam ut lege iuberentur fullones per menses hiemales civi cuilibet algenti novam vestem dare, utque officinarum domini hominibus indigis lectum praebere bene siccum et calidum.

Optime hactenus Praxagorae cessit res: viam ei Euaeon stravit inscius. Nam vestiarii et cubiculorum si publice habeatur cura, quidni habeatur etiam culinae? Illic autem quorumnam potius quam mulierum summa fiat potestas! Itaque Praxagora — sive, ut Chremes loquitur, „princeps istorum sutorum" — cum civitatem feminis permitti iussit, plurimis vicit sententiis. Quid enim obstabat quominus huius quoque regiminis fieret periculum? Cetera iam sunt cognita; nam et omnium aliquantisper fuit dominatio et unius et decem virum et quadringentum et quinque milium et triginta virum — et male verterunt omnia: unum mulierum imperium Athenae nondum viderunt, . . . grata autem semper illic sunt nova quaelibet.

Chremes res in comitiis gestas postquam enarravit, pergit quo tendebat; etiam Pultispex domum repetit.

Deserta denuo est platea.

Ecce autem redeunt mulieres. Quae quantocius e concione se proripuerunt, cum finis fuit; nunc cavendum ne quid fraudis maritis etiam suboleat. Exuunt vestes, exuunt soleas, abiciunt baculos, ponunt barbas, dein suam quaeque domum festinant.

Praxagorae adversi aliquid nunc obtingit; nam ostium intranti ipse coniux fit obviam ... tunicatus et secum mussitans. Qui cum uxorem videt manibus tenentem vestem illam dudum sibi quaesitam et soleas et baculum, gravius etiam stomachatur. At illa haudquaquam terretur aut turbatur, — quippe regendis et ductandis mortalibus nata.

— „Unde tu hominum?"

— „Ex amicae puerperae."

— „Quin mihi dixisti prius?"

— „Media nocte venit nuntius et festinato opus erat."

— „Etiamne mea veste?"

— „Dormiebas tu in lecto bene fotus, mihi vero per frigus „et tenebras erat eundum mulierculae gracili debili."

— „Quid autem soleae istae et baculus?"

— „Virum ut me simularem sumsi, fures verita nocturnos."

— „Mihi vero integro frumenti modio constitit ista tua am- „bulatio." — trinummo videlicet, quem Pultispex non accepit absens. Nam mercedem illam, non res publicas curabat.

— „O bone, frontem explica tandem! Marem illa peperit. „Sed ... fueruntne igitur comitia?"

— „Ita sane! Tune nesciebas?"

— „Qui scirem! Quamquam nunc memini iniectam heri a te „rei mentionem."

— „Et quid decretum putas?"

Id vero Praxagoram nulla coniectura posse assequi quivis intellegit; sed postquam ex Pultispice rem audivit, laudat civium prudens consilium, mox enim adfore finem malorum et flagitiorum.

— „Dictu scilicet facilia sunt talia!"

— „Immo demonstratu" —

et coram mulieribus chorum efficientibus clara et perspicua oratione dictatrix exponit quomodo permissam sibi civitatem sit ordinatura:

1) Proprii posthac nemini erit quicquam.

2) Matrimonium nullum erit.

3) Omnibus omnia praebebit civitas.

Et tertio quidem decreto adversatur nemo. Itaque quod in cenacula iam mutantur tribunalia, inutilia alioquin in posterum futura, quoniam possessione sublata criminum simul sublata est causa; — quod in aediculis, ubi iudicum hactenus facta est sortitio quotidiana, convivarum nunc ducentur sortes nec quisquam re infecta inde est abiturus, quoniam nemini non praebebitur symbolum locum in cena communi indicans; — in publico denique suggesto quod non oratores reive iam stabunt sed craterae bene repletae et bellaria, — haec omnia maximo cum plausu audientium a dictatrice iubentur. Nec dubium est quin magistratus mulieres cenam publicam aeque egregiam sint paraturae atque publica erunt vestimenta lectique publici. Artis autem culinariae peritissimas testatur placenta septuaginta syllabarum tantique nominis mensuram mole sua implens, quae sub fabulae finem defertur in forum, populi beati mensam secundam ornatura.

Sed aliquanto minus facile efficitur illa, quam Praxagora fieri iussit, communio bonorum et feminarum.

Nam privati quoniam nihil posthac est futurum, suas res singuli debent conferre in usum communem. Unus igitur e Pultispicis vicinis tenuem supellectilem ante domum suam ex ordine collocat in platea, mox in forum ad aediles transportaturus, — dummodo locum inveniat carissimis suis mensulis et sellis ceteroque instrumento domestico; nam forum omnia omnium bona qui capiat!

Ecce autem alius supervenit civis. Qui impedimenta miratus per plateam disposita:

— „Auctionemne, amice, facis?"

— „Immo mea sum delaturus."

— „Delaturus? quorsum vero delaturus?"

— „Ad magistratum scilicet."

— „Satin' sapis tu? Cur tandem?"

— „Quod ita fieri nova lex iubet."

— „Iubeto modo! Estne hoc viri frugi, legibus sic statim „obedire?"

— „Immo probi cuiuslibet civis!"

— „Stultorum talia!"

— „Ergone tua non deferas tu?"

— „Di meliora! Cur autem festinem? Expectabo certe quid „faciant alii, dein ..."

— „Quid dein?"

— „Dein etiam expectabo paullisper, tum differam rem. Sem- „per enim inexpectati aliquid intercedere potest."

— „Quid vero intercedat?"

— „Terrae motus, exempli causa, vel incendium, vel aliud „quidvis. Athenis decreta fiunt ut novo mox decreto tollantur; „quod cum factum fuerit, stultis hominibus e foro repetendae „erunt res, quas multo illuc labore contulerint."

— „At ego etiam cunctari nolo; supellectili locum quaesi- „tum abeo."

— „O bone, lente satius! Non deerit locus, non deerit tem- „pus, mihi crede! Etiamsi perendie venias, sat cito ventum „fuerit: erit ubi tua colloces!"

At venit praeconissa, — nam feminae iam cunctis officiis funguntur publicis et nova nomina tulit novus rerum ordo, — quae alta voce invitat populum in cenam communem. Nam primae dapes stant paratae civitati in unam iam familiam ingentem coniunctae. Quo audito vir ille tardior, qui neglegenda potissimum esse magistratuum mandata modo profitebatur, subito ardore correptus: „Quin igitur extemplo obtempero!" exclamat et eo volat quo vocant officium civile et stomachus esuriens. Cui alter:

— „Heus tu, manedum! Non admittitur ad convivium com-„mune qui sua non detulit."

At ille:

— „Comminiscar aliquid; causam interseram" — et nihil cunctatus illuc properat.

Neque dubitamus quin homo astutus ad lances aliqua ratione sit perventurus. Id minus certum, unde parentur lances etiam posthac praesto fore nummos. Nam novae legis quae esset vis, qui effectus, satis iam apparuit. Quae quod „omnia omnium esse" iubet, id „omnia sua esse" interpretatur vir rerum publicarum peritus. „Omnia" autem ista unde proventura sint non rogat, non enim civibus sed magistratibus hanc curam esse demandatam. Ex opibus communibus quaelibet libentissime est accepturus, sed si quid illuc de suo est conferendum, renuit, cunctatur, nimis multa, nimis cito posci clamat. Itaque verendum videtur ne prima cena, quae sumtu publico cunctis civibus est parata, et ultima sit futura.

Quid autem id quod de abolito matrimonio statuit dictatrix? Nova quoniam civitatis instituendae ratio ea placuit, quae privati quicquam singulis civibus esse vetat, ne uxores quidem proprias propriosve liberos iis concedi posse per se intellegitur. „Amicis communia" ut aiunt „sunt omnia", itaque in optima civitate etiam mulieres et viri omnes omnibus sunt communes, communes iis erunt liberi, communi sumtu communique cura educabuntur. Fratrum et sororum fideli concordia iunctorum una haec erit familia ingens...

Sed probe sensit dictatrix, quo est mentis acumine, morum regimen minime esse neglegendum, amorem quoque sollerter esse custodiendum et moderandum, publicae curae non solum esse quaecunque civibus ad vitam sustentandam sint necessaria, sed etiam civium felicitatem. Casui — vel ut olim, in prisci aevi illa imperitia, dici solebat, ipsorum hominum voluntati — nihil hic praesertim esse permittendum. Itaque obsoleto illi matrimonio non substituitur quemlibet vel quamlibet amandi

libertas, sed certa lege amare cives iubentur. Nam sic temere cupidinibus obsequi si liceret, venustis puellis et iuvenibus decoris maiorem fore spem felicitatis quam iis quibus minus favisset natura, sic autem a novo quoque rei publicae statu afore aequitatem illam, quam dudum enixe flagitassent plurimi et optimo quidem iure flagitassent. Cedito igitur iuventas aetati provectiori et forma cedito deformitati! Sic nulli verendum erit ne solus in vita relinquatur.

Haec quoque lex quam sit utilis mox apparet. Venit enim iuvenis pulcer ad domum puellae dilectae, utque sibi ianuam aperiat precatur. At per ostium cum prodit illa, obsistit anus vicina, facie marcida et fucata. Sibi haec poscit iuvenem et renitenti novam legem recitat. Puella vero „Mitte istum!" clamat — nam sollertem fecit amor —: „mater eius esse potes!"

Nempe hoc quoque est in nova lege: „non licet rem habere „cum eo vel cum ea cuius aut parens esse possis aut proles." Et in optima illa civitate, quam institui iussit Socrates Platonicus, revera sic lege est cautum.

Quo argumento victa cedit paelex, sed „Haud impune feres hoc!" vociferatur, et priusquam abire possint amantes, tertiam aemulam adducit tam grandaevam ut avia iuvenis esse possit fortasse, non mater. Haec manu eum comprehendit, vi cogi se frustra conquestum. Cui amatrix venerabilis: „Non ego te cogo, sed lex." Suprema est legum illa maiestas! — et misellum hominem secum trahit...

At retrahitur ille...

— „O quisquis es, factum bene! Habeo gratiam,
„Quod disperire non sinis miseris modis!"

— eheu, converso capite novam adspicit amasiunculam, multo etiam magis decrepitam, multo taetriorem. Illa lecticae quam lecto videbatur aptior, haec vero ab inferis emersit: mulier non est, est excetra, larva, lamia! Vae misero mihi, succurrite cives!...

Sed non succurritur, neque missum facit amica annosa, ab altera autem parte firmiter tenet quae prior captavit, ab amba-

bus abducitur... et satis superque apparet qualem gratiam apud cives inventura sint quae de iure amatorio praestituit nova dictatrix, neque incertum videtur quamdiu sint permansura. — „In nostra civitate decreta fiunt ut tolli possint" dicere meminimus illum civem, qui Athenas bene cognitas haberet.

Itaque ferri leges facilius quam ratas fieri res docet; omnes autem cum cantantes et saltantes in forum abeunt ad convivium commune, spectatores non id quod olim in Pacis fabulae exitu secum cogitant, cenam illam laetum fore exordium vitae quietae feliciter posthac transigendae, sed haec potius: „O boni, „operam date ut bene satures bene repleti a dapibus opiparis „redeatis domum; alterae enim non sunt futurae: cras gaudiorum „finis erit!" — Erunt tunc denuo quae in tribunalibus agantur neque cupediis in suggesto publico erit locus.

Pacificatricis illius consiliis praestantissimis cum cives obtemperassent, rediere pax et prosperitas; quae mulierum fuit victoria non ad odia cienda, sed ad concilianda foedera natarum. Praxagorae vero cum rerum summa est permissa, in deterius ruit civitas, non „omnia omnibus communia" habitura, sed „omnes omnibus adversos." Non dulcis facilisque vita manet nequam homines, qui civitatem eo tantum consilio institutam arbitrentur ut ipsis pabula praeberet. Longum mortalium commercium quae peperit si evertantur et abiciantur, patrum hereditas una omnium pretiosissima, non aureum instet saeculum, sed retro ruatur in feritatem illam, unde genus humanum lente olim emersit in vitam cultiorem.

Plus sensim singulis hominibus in civitate est tributum: nunc periculum est ne disputationibus de iuris morumque origine temere iactatis ipsa civitatis fundamenta percellantur. Quapropter sunt qui, temporis opus ad irritum redigendum arbitrati, libertatem vitae privatae in angustiores denuo fines cogi iubeant: id si factum fuerit, res publicas in melius mox mutatum iri. At non ut unum e multis esset animal, non ut generis cuiusdam exemplar esset ceteris quam maxime simile, creatus est homo! Immensi corporis quod pars est, summum quidem id ei

decus et honor,... sed vitam ut bene et feliciter possit transigere, suus sit necesse est; nam suam quisque vivit vitam, sua mente utitur, suis affectibus movetur, sua habet iura — et sua officia. Improbi nebulones cum discipulo illo e sophistarum Meditaculo recenti clamanto ius esse cuivis quicquid ex ipsius re sit: — contemtim repellenda sunt istiusmodi placita, sed simul cavendum ne in contrarium errorem ruentes singulorum iura tam anxie coërceamus ut liberi arbitrii vix quicquam iis restet et in commune conferantur omnia. Felicitatis homo est appetens, ad felicitatem autem unum conducit animi corporisque temperamentum liberum atque aequabile, cui quicquid adversatur, nocet et turbas gignit.

Talia Aristophanes in mente habuit, cum fecit fabulam, cui *Mulieres concionantes* sive *Feminarum Imperium* dedit nomen. Et luculenter testatur ea fabula, qua vita promiscua ludibrio habetur, res humanas ipsosque homines ei melius fuisse cognitos quam magno illi philosopho, qui seria agens et generi humano optime volens civitatem ita institui iussit. Plato mulieres non tanti faciebat quin satis honoris eis haberi censeret si liberorum procreandorum causa bene nutrirentur et exercerentur, ut equae canesve generosiores: poeta vero comicus, qui de feminis — ut de viris — petulanter et ludicre dixit plurima, probe sensit mulierum illa communione, quam inter aequales erant qui commendarent utpote malorum civilium remedium efficacissimum, contumeliam fieri generis humani parti alteri ipsique adeo humanitati vim inferri.

Anno 392 scenae commissa est fabula, incertum quibus ludis quove eventu. Primum praemium, quo erat dignissima, utinam ei fuerit decretum!

Summa laude dicimus dignissimam. Dissimilis sanequam Acharnensibus vel Avibus! Alii videlicet auctumni sunt colores, alii frondis novae. Viridis erat poeta cum pacis otiique rustici cecinit laudes et diris devovit belli studiosos; viridis ei erat spes, virida iuventas, necdum anni attulerant rerum peritiam

ponderosam. Feminarum Imperium verni vel iuvenile habet nihil, at sexagenarius poeta res humanas quanto magis ex vero depinxit quam olim vicenarius!

Parcius campos fovet sol auctumnalis, et obliquatis radiis per nebularum lente surgentium rara vela transmissis summa stringit, sed frondes etiam densae et pomorum turgentium copiis variatae. Instat hiems et leni quadam tristitia perfusa sunt omnia, nondum tamen abolitum est lucis et vitae regnum. Neque Feminarum Imperium sequioris est ingenii quam Acharnenses neque Sophoclis Philoctetes quam eius Aiax, structura autem aequabiliter ponderata plus valet utrumque drama recentius quam priora illa. Si quis iocos quosdam parum urbanos aegre ferens Feminarum Imperium inter optimas poetae fabulas recensere nolit, iniquam ferat sententiam de ultimo quod Aristophanis ingenium peperit opere se condigno.

III.

Plures fabulas poeta aut non scripsisset vellemus, aut ad nos pervenire non sivisset longa dies, rerum edax.

Sed ut in bello, — ubi Thersitis parci, Patroclos absumi plus semel conquesti sunt poetae, — sic in litteris interierunt plurima quae aegerrime desiderantur, intacta evaserunt quae minus iuvant servata. Inter artis opera, quae ex aevo prisco ad nos pervenerunt, sunt quibus non praestans aliqua virtus fuit salutaris, sed ipsa mediocritas. Mediocribus esse poetis non di non homines concesserunt, et tempus iis iudex est veracissimus: mediocria poetarum opera haud pauca ex ingenti strage emergere sivit tempus et propter levitatem „sursum cadere." In his est Aristophanis ea fabula, quae temporis habita ratione superstitum est ultima, primo autem loco in codicibus reperitur collocata. Nempe quod ceteris facilior esset intellectu et artis humilioris, honorificentissime est habita in scholis, et saepe a ludorum magistris cum Nubibus et Ranis fabulis, sed multo etiam saepius quam hae, lectitata est et explicata. Ubi multa quidem

et gravia est perpessa, — non enim pueris aut semidoctis interpretibus scripserat poeta comicus, sed spectatoribus aequalibus, — integra tamen superavit ex clade, qua pleraeque fabulae Aristophaneae interciderunt; nam non nisi quartae cuique clementem se praestitit fortuna. Et est sane quod gaudeamus, hoc quoque poetae opus ad nos pervenisse; vile enim esse non potuit id quod ex illius ingenio esset prognatum: aquilae senectus iuventute alaudae potior! Sed quisquis dolet iniurias a tempore inexorabili carissimis familiaribus illatas, Plutum fabulam perlegens gaudio illi moestitiae aliquid admixtum sentit.

Plutus fabula ut cum Feminarum Imperio a legentibus comparetur fert ratio; nam et tempore hae fabulae inter se sunt vicinae — non nisi quatuor anni interfuerunt — et similis ambabus est materies. Mulierum Divortium Mulierum Imperio quodammodo continuatam diximus fabulam: non minus recte dixerit quispiam rem, quam in Mulierum Imperio poeta instituisset, in Pluto porro esse tractatam.

Satis apparuit hominum civitatem non posse ita institui ut equarium aliquod vel aviarium; ius dominii si tollatur, non simul sublatum iri paupertatem, neque posse fieri ut res publica ita moderata aliquantisper consistat, sed proximo die collapsuram; humana instituta et mores, ut ipsos homines, gigni et crescere, non posse artificiose confici. Sed rata aliquo modo si possent fieri quae appetuntur a viris novarum rerum studiosis, meliusne foret mortalibus? Essentne feliciores, si ultro acciperent quaecumque poscunt vitae usus et cultus neque paupertatem experti nossent?

Hanc nunc quaestionem sibi proposuit comicus.

Magni profecto momenti quaestionem. Neque maioris unquam momenti ea potuit videri quam tunc Athenis, ubi egeni erant plurimi et de auxilio civibus inopibus publice ferendo saepe disputabatur. Sed non cuivis loco fuit apta. A theatro quidem non erat aliena, sed erat a comoedia Aristophanea. Felicitas quid sit, tragoediae potius est quaerere, ut et, quae cognata est

quaestio, cur improbi homines multi sint felices, infelices autem probi multi. In Hercule dramate has quaestiones movit Euripides, Sophocles quod ad eas responderet quaesivit cum Oedipum regem faceret, quaesiverunt Iudaeus poeta Hiobi carminis et theologi Christiani, et omnino fert natura hominum ut non possint non rogare quo consilio qua ratione haec vita sit instituta, quove tendat. Quid mirum igitur quod etiam menti poetae comici hae quaestiones sunt obversatae, in gravibus praesertim patriae aerumnis. Et pro generosa indole quod diligenti cura eas perpendit, quis improbet! Sed male factum quod in artis suae regnum eas transtulit. Nam a musa ioculari prorsus alienae sunt disputationes de rebus hisce, quae longe maximi sunt momenti atque ad imas animi humani radices pertinent. In comoedia eae nihilo minus molestae sunt quam in tragoedia erant Euripidis philosophemata, et miros nos habet Aristophanes ille, qui Euripidem ob sapientiam intempestive adhibitam saepe irrisit, postquam ad senectutem pervenit ipse extra artis suae fines aberrans. Nunc quoque poeta comicus ostendit indolem indoli tragici multo similiorem quam aut sciat ipse aut sciri velit.

Etiam Socrates ad duas illas quaestiones respondit, respondit autem id quod in altera rogabatur denegando. Verum non est — ait — improbos multos esse felices, infelices esse probos; non est verum, quia fieri nequit ut sit verum. Neque enim ad improbitatem pertinet felicitas, neque malum ad virtutem. Non extra homines felicitas alicubi versatur, ubi captari, unde domum deferri possit, sed in ipso eorum animo habitat nec nisi ad bonorum animum ei patet aditus. E rerum fortuitarum nebulis undantibus percipitur vox sirenum „ubi ipse non es, est ibi felicitas" clamantium; quibus qui aurem praebet, aberrat in loca avia, ubi firmi certive nihil, nihil extat manetve, mutantur omnia et pereunt. Sed in tuo ipsius pectore felicitatem quaeras oportet, strenuo labore tibi pares, per vitam continenter et temperanter transactam veri scientiam appetendo, externas autem res et fortunae sive commoda sive incommoda contemnens.

Nam veri scientiam qui habet, — non fallacem aliquam doctrinam dubitationibusve obnoxiam, sed certam scientiam et ratione comprobatam, — is habet et virtutem: bonus est, quia prudens; virtus autem affert felicitatem nullis casibus obnoxiam.

Haec mortalium sapientissimus respondit felicitas quid esset quaerentibus; quam sententiam confirmavit morte placide obita. Vitam videlicet cives adimere ei potuere, non potuere felicitatem; hanc in sepulcrum secum abstulit.

Aristophanes cum Plutum sive Opulentiam faceret fabulam, praeterierat decennium post cicutam a Socrate interrite potam, quod vitae sine labe peractae praemium praebuerunt ei cives, nunc quoque ipsa pietate ad scelus pellecti. Sed quae divinum illud ingenium cogitaverat, non cum ipso erant sepulta.

Etiamne ad Aristophanem aliquid ex iis pervenit? Fieri vix potuit quin perveniret. Nam Nubes fabulam postquam fecit poeta comicus, „archisophistam" illum e conspectu denuo amisisse non videtur. Etiam vigesimo anno post in Ranarum exitu contemtim admodum locutus est „de homuncionibus istis, qui cum Socrate garriendo tempus tererent, neglectis tragoediae principiis", — Euripidem despicatui habens; Feminarum autem Imperium fecit de materie a Socrate saepe et libenter tractata, nec dubium quin nobilis praesertim philosophi obitus eum adverterit. Sed sapientiae semina a Socrate larga manu inter aequales sparsa in mente poetae comici non invenerunt locum ubi laete procrescerent; itaque hic cum coepit quaerere quid esset felicitas, philosophi monita parum ei profuerunt ad discernendam felicitatem a prosperitate.

Quod opus si viginti trigintave annis prius esset aggressus, meliusne ei cessisset? Pro certo quis dicat! veri tamen id dissimile; nam ad argumentationes severiores minus apta minus propensa semper fuit eius mens. Sed tum cum integerrimum ei erat ingenii robur si in hanc materiem incidisset, non suae eam artis esse mox agnovisset et seposuisset vix tactam. Senectuti obtusius aurium acumen: non iam percipit vocem musae ut abstineat leni susurro suadentis.

Itaque inter felicitatis, prosperitatis, divitiarum notiones vacillans fabula caret unitatis illa laude, quae ceteris poetae maturioris operibus est propria. Divitiae inter homines habentur optabiles: bene igitur haberet si probi omnes homines essent divites. At nemini si non esset pecunia, pecuniae utilitas foret nulla, non enim essent qui mercede conduci possent ad laborandum, sed a labore abstinerent omnes; quae insignis foret mortalibus calamitas, quoniam labore quam maxime iuvantur et egestas ad omnia, quae ab ingenio humano inventa sunt, indagavit viam. At ita si habet res, divitiae optabiles non sunt. Ergo... Quid ergo?... Vix et ne vix quidem decurrere videtur argumentationis tenor, paralogismorum enim series fabulae est substructa, utque species certe unitatis servetur sumendum est, probus quilibet si dives fiat, operam daturos esse omnes ut quam primum probi fiant, pauperes igitur mox futuros nullos. At huiuscemodi probitas quam est dissimilis virtuti ei, quam Socrates condicionem ut necessariam sic unicam — non prosperitatis praedicavit sed felicitatis! Homines, opibus ut potiantur, ne probi quidem fieri recusantes quid discrepant a Strepsiadibus eorumque filiis, lucri causa artem fallendi meditantibus? Non ipsi sunt alii, sed aliae iis sunt vitae condiciones.

Comicus poeta utinam Socratis — non commenticii illius e Meditaculo meteorosophistae, sed veri Socratis, qui civibus per longos annos colloquii sui fecit copiam, non nares potissimum spectasset resimas nudosve pedes, sed et aurem ei praebuisset amicos docenti quid esset rei alicuius notio, quid definitio.

Quamquam talem Aristophanem, qualem fecit alma natura, amamus propter ingenium venustum et generosum. Sed non est ex iis a quibus cupiamus audire quid censeant de vitae humanae fine vel pretio.

Fabulae initio adspicitur Chremylus agricola provectioris aetatis ab itinere rediens. Qui cum oraculum Delphicum adiisset ut duram sortem quereretur, quippe qui pius et honestus semper vixisset et tamen mansisset pauperrimus inter maleficos pluri-

mos prospera fortuna usos, hoc accepit responsum: templum egresso qui primus fieret obviam, eum sequeretur et domum secum deduceret. Quis autem primus ei occurrit? Senex quidam caecus et squalidus. Huic igitur inde a Delphis ivit pedissequus. Iam vero Athenas adque ipsius domum est perventum; itaque ignotum illum hominem allocutus quodnam ei nomen sit rogat. Qui vix tandem respondens Plutum se profitetur.

Siccine vero? Opulentiae deum talem semper sibi finxit Chremylus qualem ostendebant artifices, puerum formosum, in Pacis deae ulnis suaviter ridentem.

Olim sane eam sibi fuisse speciem ille ait, sed quod probis tantum mortalibus tunc se applicaret ceteros aversatus, Iovem stomachatum oculis sibi obduxisse caliginem. Dein aberrasse se in multorum domus, ad quos pervenire neque voluisset neque debuisset, iamque recentem ex aedibus senis cuiusdam avari misere sordere atque squalere.

— „Quin igitur me sequere!" Chremylus ait „utque oculi „sanentur curabo."

— „Ohe, benigne! non utar! Iovem denuo irritare nolo."

— „Iovemne scilicet? Videndi facultatem recupera modo et „Iovem plorare iubeas licebit! Tuam is requirit operam, nam „sine te nemo potest emere quod ei sacrificet. Sine te neque „est quicquam neque fit; tua causa desudant omnes. Iovem ne „cura, sed ad me veni. Visum tibi in integrum restituam, „mihi crede!"

Intrat Plutus deus aedes agricolae pauperculi, hic autem convocat vicinos egenos ex agris, ubi duris laboribus vacant victus quotidiani causa. — Poetae comico agricolas usque ad vitae finem curae fuisse apparet.

Citato sanequam cursu accurrunt illi. Quamquam si minus festinassent, ipsa fabula nihilo tardius processisset. Nullum enim est inter dramata Euripidis quod chorum tam inutilem habeat quam rusticorum est chorus, quem in ultima fabula exhibuit Aristophanes. Bardos tardosque adstare choreutas Euripideos poeta comicus olim perhibuerat: iam vero de ipsius choro id

optimo iure potuit perhiberi. Quocum qui comparat agricolarum choros illos, quos Acharnenses et Pax habent fabulae, dissimillimos esse statim sentit. Illic vita exuberanti fremunt omnia, clamant omnes et moventur, singuli autem motus singulaque verba necessaria sunt ad eum qui petitur fabulae finem assequendum: — hic strepitus quidem est affatim nec desunt ioci, sed inutilia sunt ea omnia; nihil iis efficitur, nihil petitur. Agricolae hi neque habent quod agant neque agunt quicquam. Intermortuus est chorus comicus, — ut tragicus, — nec nisi speciem aliquam servat vitae pristinae. Olim non solum actoris officium strenue peragere, sed etiam — praesertim in interlusione — de rebus publicis poetae nomine verba facere solebat. Primitus unus regnabat in Dionysi sollemnibus celebrandis, postea plurima certe eorum pars fuerunt eius cantica, dein vero finibus artioribus sunt circumscripta, et dum auctae sunt fabularum mensura et ars et ipse loquentium numerus est auctus, minoris sensim momenti factus est chorus. Ex Sophoclis ultimo dramate Philoctete removeri possit sine ipsius fabulae detrimento, item e plerisque dramatis Euripidis, fortasse ex omnibus. Aristophanes autem prioris saeculi reliquiis illis choro felicissime hactenus usus fuerat, nuper quoque in Feminarum Imperio, — iam vero quod eo agat vix habet, certe vix quicquam eo agit. Quamquam non poetae haec fuit culpa sed rerum mutatarum; nam in civitate inope cum ludis scenicis parcius instructis cantorum peritorum caterva praestari non posset, mutarum personarum factus est chorus, cuius duci soli aliquot versiculi tributi sunt recitandi. Adest chorus, quia abesse eum non sinit mos, et quoniam adest, dicit nonnulla; sed quae dicat revera non habet. Interlusio nulla est, — qua etiam Feminarum Imperium caruit, — sed inter actus ad tibiam saltatur aliquid. Cantica sine verbis! Cuiusmodi quid si ausus olim fuisset Euripides, profecto haud impune per Aristophanem tulisset!

Opulentiae deo postquam restituta est acies oculorum, altera fabulae pars docet quantum mortalibus prosit ille sanatus. Qua

in parte clarius etiam quam in priore apparet inferioris artis hoc esse poetae opus quam Feminarum Imperium. Nam in illo multo parcius disputabatur quam nunc fit in nova fabula, quae Laboris habet deam demonstrantem ultimae stultitiae esse optare ut divites fiant omnes homines, et optime quidem demonstrantem; in Feminarum autem Imperio etsi non deerant qui Praxagorae consiliis obloquerentur aliquantisper, mox tamen argumentando victi novae scientiae dabant manus: — et tamen in exitu Feminarum Imperii spectatoribus non potuit non persuasum esse novarum rerum finem fore quantocius et priscum civitatis regimen restitutum iri, in Pluti vero fabulae exitu quid censerent nesciverunt. Desinit haec, non clauditur.

Etiam Virgines Libantes drama Aeschyleum clausula caret, ultimis enim verbis chorus rogat quorsum tandem evasura sint haec omnia. Sed media est haec fabularum trium arte inter se cohaerentium et deinceps actarum, quarum postrema ad chori illam quaestionem respondetur. Plutus vero fabula quoniam sola per se spectatur, perfecta et absoluta videatur oportet.

Non videtur. Plutus deus postquam ex oculorum morbo convaluit, inter mortales nullus est qui deos etiam colat, non enim desiderant quae ab iis petant; vacua desertaque stant templa, esuriunt sacerdotes, ipse Mercurius caelitum nuntius ab hominis divitis ianitore cibi aliquid petit supplex. Quorsum vero haec omnia? Ecquid indignari ista vel dolere spectatores iubet poeta? Minime rerum! Id unum agit ut hilarum atque clarum risum iis moveat, et dudum norunt omnes cuiusmodi ei sit erga Olympios reverentia. Nunc quoque, ut in Avium fabulae exitu, patuit caelicolas hominibus inutiles esse et plane supervacaneos.

Cetera quae habet rerum species mutata, testantur deum Delphicum Chremylo optima suasisse. Finem enim hic est assecutus, quem petebat: dives est, epulas instruit opiparas, et ipsis eius mancipiis ea est opulentia ut aureis par impar ludant. Alius quidam vir probus, qui item pauperrimus diu fuit, nunc subito ditatus ad eius domum accedit, ut Pluto grates

agat; scelestus autem delator quidam ira prodit efferatus, quippe qui rapinis dilapsis egenus derepente evaserit. Optime igitur haec omnia! Et in fabulae exitu deus pompa sollemni et vere Aristophanea e Chremyli aedibus — quae auro iam et ebore totae resplendent — deducitur in arcem Athenarum, posthac ibi habitaturus denuo, ut Periclis aetate habitavit...

Sed quid tum postea? Satisne multi inter mortales manserunt improbi, qui in usum proborum laborarent? An solas Athenas visurus est Opulentiae deus et in sola Atheniensium civitate cunctis aut hominibus aut civibus licebit beatis probisque otiari? An... quid? Hariolari licet, non potest probabiliter responderi. Profuitne igitur generi humano restitutum Pluto oculorum acumen, an nocuit? Et bonum quid sit, quid malum, qua ratione quo modulo posthac efficietur? Non liquet.

— „Comicus non est obruendus quaestionibus molestis! Non „est hominis prudentis, in fine lepidae fabulae rogare quemnam „decursum postea habuerint res, de quibus narratum sibi „fuerit"...

Itane nostris ipsorum verbis admonemur?

Non rogamus talia in exitu fabulae tersae et rotundae, qualis est Aves; in qua licet ioculariter ficta et prorsus incredibilia sint omnia, veri tamen specie quadam pellicimur, neque habemus quod carpamus in rerum quantumvis absurdarum narratione optime cohaerenti. Sed certo de argumento cum disputatur, id quod in Feminarum Imperio est factum et nunc fit in Pluto, non solum disputationis tenorem cognoscere cupimus et persequi, sed etiam scire quo perventum sit denique. Tunc minime fuit obscurum quid diceret poeta: vesanorum videlicet esse hominum, rerum communionem optare; — neque dixit id tantum, sed et in ipsa fabula luculenter ostendit. Nunc quoque scimus quid dicat: bonum, non malum esse paupertatem; sed e fabula effici id nequit. — „Abigitis me mox revocaturi!" clamat dea Laboris minis iurgiisque cedens, sed fore ut mox revocetur non est quod putemus; immo in contrarium tendit fabulae pars postrema. Nisi Plutum eiusmodi pompa in acropo-

lim deduci voluit poeta, qualis fuit Troianorum equum fatalem in arcem suam protrahentium.

Nihil eiusmodi significavit ille aut voluit significare. At utinam ostendisset id quod in mente habebat, vera dixisse deam Laboris, non profuisse hominibus Plutum sanatum; nempe non revera fuisse sanatum, sed humanum in modum nunc myopem esse redditum, ut sunt quibus glaucoma est ablatum, iamque in donis distribuendis humanae aequitatis rationem sequi; calamitatem, non felicitatem illatam esse mortalibus, a Iove mox precaturis ut caecum denuo redderet Opulentiae deum.

Quod si factum esset, Chremylus in fanum Apollinis rediisset, ut cum deo expostularet, qui malum consilium dedisset sibi supplici. Apollo vero respondisset ei verbis chori Nubium, hominem inepte scelestum confutantis, qui eruditionem ab iis petiverat ut flagitiorum impunitatem inveniret: „Ad improba „consilia assequenda qui opem a nobis petit, eum ultro in „malum impellimus, ut suo damno discat iustitiam et deos „non contemnere."

Non enim male respondit Apollo: Chremylus male rogavit deoque ipse praecepit quomodo responderi sibi vellet. Xenophon olim cum oraculum Phoebi Apollinis rogasset quid sibi faciendum esset, ut prospera fortuna uteretur in itinere quod susceperturus esset, Socrates amicum iuvenem vituperavit, qui non id potius rogasset, essetne sibi illud iter suscipiendum necne? satisne laudabili consilio vir Atheniensis nobilique gente ortus patriam maximis malis oppressam aversaretur, ut apud Graecorum hostes avitos stipendia mereret? Plutus autem fabula cum data est, si superstes etiam fuisset Socrates, Chremylum sic potuisset corripere: Quid tu petitum Delphos ivisti, scire te ratus videlicet quid mortalibus in hac vita sit bonum? „Filius meus probusne an improbus fiat oportet, ut prospera utatur fortuna?" — hoc est quod deum rogasti; sed ita rogari non vult ille! Respondit autem id quod conveniebat tuae stultitiae. Non id quod rogasti! Sed respondit: „Plutum sequere", — inerat autem eius verbis: „et malum invenies". Sed malum

illud proderit tibi, efficiet enim ut sentias bonum esse faciendum — non ut bene sit tibi, sed ut ipse bonus et sic felix fias. Non id a diis petitum oportuit ut prosperos redderent te tuosque, sed ut sapientes!

Numquid comicus talia mente agitavit? Veri parum simile; in fabula certe nihil est quo cogi potuerint spectatores ut similia cum animo suo cogitarent. Inerant tamen haec omnia in fabulae argumento neque ab arte musae iocosae necessario fuerunt aliena.

Sed ipse poeta minus iam est iocosus, quam fuit. Neque hilarus ille vitae amor ei permansit, sed hominum contemtorem se praebet acerbum. Despicit iam omnes et omnia. Tolerare didicit homines, amare dedidicit. Non irascitur etiam, non intendit vires ad optatissimum aliquem finem assequendum; acerbi quid ridens intuetur et expectat.

At Plutus fabula licet non eius sit Aristophanis quem admirari et diligere didicimus, est tamen magni artificis opus. Non tam multa dedit quam ab Acharnensium Avium Ranarum poeta expectabantur: multa tamen dedit nunc quoque. Colloquia festiva non desunt, et lepida admodum sunt quae narrantur de deo caeco in Aesculapii fano incubante. Quae narratio satis testatur poetam recentia illa medicorum artificia nihilo pluris fecisse quam alia aequalium artificia et studia. Erantne etiam quae risor senex magni faceret in civitate tam dissimili illis Athenis, quas puer et iuvenis ardentissimo amore amaverat? erantne in cetera Graecia?

IV.

Uno anno post Plutum fabulam scenae commissam Graecis civitatibus finem novi belli fecit pax ab Antalcida Lacone conciliata. Quae ab hoc viro nomen habet, sed etiam „pax regia" est dicta, quoniam „rex Artaxerxes misit eam Spartae et Athenis et utrorumque sociis". Callida videlicet Persarum con-

silia vicerunt; „sagittarii aurei" scopum tetigerunt tandem, et ut est in fabula:

„Muribus erat lis: arbitram felem legunt;
„Ambos vorando fecit haec concordiam".

Devorata quidem sola est ora Asiae, sed ipsi Graeciae de pristina potestate quantulum restabat!

Poeta autem noster quid etiam sperare potuit, quid diligere? Artem et suos.

Duas etiam fabulas scripsisse eum accepimus, quas filio iuveni Araroti dedit docendas. Spes enim ei erat ea, quae multis est patribus, fore ut ipsius opus continuaretur a filio. Sed ad irritum cadere solent eiusmodi expectationes, neque Aristophanis ea spes rata fuit tota. Nempe in hereditariis bonis non sunt mentis acumen et ingenii mobilitas: — Ararotis fabulas parum venustas duxere cives; et postquam pater est mortuus, in oblivium sensim ille abiit, ut Sophoclis filius Iophon. Semel tamen et iterum Araros etiam mortuo Aristophane e certaminibus scenicis praemia rettulit.

Fabulae ambae, quas filio scripsit Aristophanes, propius etiam quam Plutus accedebant ad recentioris aevi dramata, — quantum quidem compertum habemus; nam fragmenta nonnisi pauca et exigua supersunt. Proximo post Plutum anno quae scenae commissa est Cocalus fabula et primo praemio ornata, in argumento quodam amatorio versabatur, et fabulis Menandreis haud dissimilis fuisse videtur. Quapropter fuerunt inter Aristophanis admiratores qui novae comoediae creatorem vocarent. Fieri potuisset, si pepercisset ei senectus; sed creandi tempus ei praeterierat. Munus honorificum arti Euripideae aptiorem locum petendi et parandi quam praebebat tragoedia, reliquit poetis iunioribus. Non novi aevi signiferum Aristophanem veneramur atque suspicimus, sed magnorum poetarum, quos tulit Atheniensium civitas libera, et ultimum et fortasse maximum.

De tempore, quo singulae Aristophanis fabulae datae sunt, quae constant haec sunt:

Daetalenses	anno	427.
Babylonii	mense Martio	426.
Acharnenses	mense Februario	425.
Equites	mense Februario	424.
Nubes	mense Martio	423.
Proagon	mense Februario	422.
Vespae	mense Martio	422.
Pax	mense Martio	421.
Amphiaraus	mense Februario	414.
Aves	mense Martio	414.
Lysistrata	mense Februario	411.
Thesmophoriazusae	mense Martio	411.
Ranae	mense Februario	405.
Ecclesiazusae	anno	392.
Plutus	anno	388.
Cocalus	anno	387.

APPENDIX.

I. Grammaticorum de Aristophanis vita excerpta.

Aristophanis fabulis inde ab editione principe praemitti solet vita quaedam, quae et in aliis codicibus et in omnium optimo V extat [1]). In eodem legitur etiam brevior vita, quam primus evulgavit Dindorf [2]), quadriennio post repetivit Duebner.

Brevioris huius vitae rationem non habuit Meineke — neque potuit habere — in Fragmentorum Comicorum editione [3]), quae eodem tempore cum opere Dindorfiano prelo est subiecta. Sed aliquot annis post Westermann cum ederet Vitarum Scriptores Graecos minores, in utilissimum hunc librum et alias vitas Aristophanis recepit et duas illas, quas praebet codex V; sed „cum intellexisset alteram vitam nihil aliud esse nisi priorem decurtatam" [4]), in unum eas coniunxit. Quae cum placuisset ratio, multi Westermannum secuti alteram illam vitam vixdum repertam abiecerunt; nam in unum ambas iungere, id est breviorem neglegere atque aspernari.

At non est brevior illa vita, id quod videbatur Westermanno, e recensione integriore excerpta: vita amplior est brevioris

[1]) Nulla Prolegomena habet codex R.
[2]) Aristoph. Schol. I p. 37 sq.
[3]) I p. 542 sqq.
[4]) Praef. p. XIV.

recensio foede — ut cum Bergkio [1]) loquamur — ab inscito homine interpolata. Haec quae sola habet, partim sunt inutilia, partim falsa, partim etiam perabsurda. Aptius concinnata est vita brevior; quae ubi probari nequit, ita certe erravit grammaticus, quisquis fuit, ut facile ei ignoscamus; amplior vero vita quae praebet addita, ea et per se improbanda sunt et loco leguntur alieno, brevioris enim contextum misere distendunt et violant [2]).

En igitur vitas ambas e codice V excriptas [3]).

---

[1]) Cf. Bergk in Mein. Fr. Com. II p. 925.

[2]) Manifesta tenetur interpolatio § 4 in verbis „γραφὴν ἔθετο" pro „ἔγκλημα ἔθετο" perperam scriptis.

[3]) Tacitus correxi quae apud Dindorfium aliosque repperi sphalmata.

A [1]).

Ἀριστοφάνους βίος.

1 *Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς* [2]) *Φιλίππου μὲν ἦν παῖς Ἀθηναῖος Κυδαθηναιεὺς* [3]) *τῶν δήμων· ὃς πρῶτος δοκεῖ τὴν κωμῳδίαν ἔτι πλανωμένην τῇ ἀρχαίᾳ ἀγωγῇ ἐπὶ τὸ σεμνότερον καταστῆσαι* [4]), *πρότερον Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος*

[1]) Legitur haec vita (sic inscripta) in codicis V folio 3^{v}, quod folium *secundum* fuit primitus; nam primum folium postmodo est praemissum.

[2]) Cf. *τραγῳδοποιὸς* Thesm. 30, *κωμῳδοποιητής* Pac. 734.

[3]) *Κυδαθηναιεὺς*] *-ναῖος* V, item in vita B.

[4]) **καταστῆσαι*] *καταστήσασθαι* V.

B [1]).

Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς πατρὸς μὲν ἦν Φιλίππου, τὸ δὲ γένος Ἀθηναῖος, τῶν δήμων Κυδαθηναιεύς, Πανδιονίδος φυλῆς· ὃς πρῶτος δοκεῖ τὴν κωμῳδίαν ἔτι πλανωμένην τῇ ἀρχαίᾳ ἀγωγῇ ἐπὶ τὸ χρησιμώτερον καὶ σεμνότερον μεταγαγεῖν, πικρότερόν τε καὶ αἰσχρότερον Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος βλασφημούντων ἤδει. πρῶτος δὲ καὶ τῆς νέας κωμῳδίας τὸν τρόπον ἐπέδειξεν ἐν τῷ Κωκάλῳ, ἐξ οὗ τὴν ἀρχὴν λαβόμενοι Μένανδρός τε καὶ Φιλήμων ἐδραματούργησαν.

[1]) Haec vita (titulo carens) legitur codicis V initio (in folio 2^{r} et initio^{v}; quod folium olim fuit codicis primum).

βλασφημούντων. πρῶτος δὲ καὶ τῆς νέας κωμῳδίας τὸν τρόπον ἐπέδειξεν ἐν [1]) τῷ Κωκάλῳ, ᾧ [2]) Μένανδρός τε καὶ Φιλήμων δράματα συνεστήσαντο.

2 εὐλαβὴς δὲ γενόμενος ἄλλως τε καὶ [3]) εὐφυής [4]), τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε [5]) καὶ Ἀμειψίας, τετράδι γεγονέναι λέγοντες, κατὰ τὴν παροιμίαν, ὡς [6]) ἄλλοις πονοῦντα. ὕστερον δὲ καὶ δι' αὑτοῦ [7]) ἠγωνίσατο.

3 διεχθρεύσας δὲ μάλιστα Κλέωνι τῷ στρατηγῷ καὶ γράψας κατ' αὐτοῦ τοὺς Ἱππέας αὐτὸς ὑπεκρίνατο [8]).

εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχήν, ἄλλως τε καὶ εὐφυής, τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας, τετράδι λέγοντες γεγονέναι, κατὰ τὴν παροιμίαν, ὡς ἄλλοις πονοῦντα. ὕστερον δὲ καὶ αὐτὸς ἠγωνίσατο.

διεχθρεύσας δὲ μάλιστα Κλέωνι τῷ δημαγωγῷ καὶ γράψας κατ' αὐτοῦ τοὺς Ἱππέας, ἐν οἷς διελέγχει αὐτοῦ τὰς κλοπὰς καὶ τὸ τυραννικόν, οὐδενὸς δὲ τῶν σκευοποιῶν τολμήσαντος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ σκευάσαι δι' ὑπερβολὴν φόβου, ἅτε δὴ τυραννικοῦ ὄντος, μηδὲ μὴν ὑποκρίνασθαί τινος τολμῶντος, δι' ἑαυτοῦ ὁ Ἀριστοφάνης ὑπεκρίνατο, αὐτοῦ τὸ πρόσωπον μίλτῳ χρίσας, καὶ αἴτιος αὐτῷ γέγονε ζημίας πέντε ταλάντων, ἃ ὑπὸ τῶν ἱππέων κατεδικάσθη, ὥς φησιν ἐν Ἀχαρνεῦσιν (vs. 5 sq.):

„ἐγῷδ' ἐφ' ᾧ γε [1]) τὸ κέαρ ἠὐφράνθην ἰδών,
„τοῖς πέντε ταλάντοις οἷς Κλέων ἐξήμεσεν." [2])

---

[1]) *ἐν*] om. V.

[2]) **ᾧ*] *ἃ* V. Refero relativum ad *τρόπον*.

[3]) *καὶ* del. Gelenius.

[4]) *εὐφυής*] cf. *περὶ κωμῳδίας* § 12: *εὐφυΐᾳ πάντας ὑπεραίρων*.

[5]) In fabula *Ἡλίῳ ῥιγῶντι*, teste schol. Plat. Apol. 19 *c* (infra pag. 178 sq.), ubi additur Sannyrio *ἐν Γέλωτι*, Amipsiae autem non fit mentio. Primus ioci auctor videtur fuisse Plato in Pisandro fabula (fr. 99 sq.).

[6]) *ὡς*] om. V, etiam in vita B, sed illic habent recc.

[7]) **δι' αὑτοῦ ἠγωνίσατο*] *αὐτοῦ διηγωνίσατο* V.

[8]) *ὑπεκρίνατο*] *ἀπ.* V.

[1]) *γε*] om. V.

[2]) Idem error — eiusdemne asini? — est in scholio (quo caret R) ad Ach. 8: *εἰς τὸ ὁρᾶμα* (*fabulam*, non *facinus*, ut interpretatur Ranke in Vita p. XCII) *τῶν Ἱππέων ἀποτείνεται. διὰ τούτου γὰρ φαίνεται καταδικασθεὶς ὁ Κλέων τάλαντα έ.* Quae qui annotavit stultus homo, in fonte suo invenerat haec fere: *„τοὺς ἱππέας ἐπαινεῖ, διὰ τούτων γὰρ φαίνεται καταδικασθεὶς ὁ Κλέων τάλαντα έ."*

4 ὃ δὲ ξενίας αὐτὸς κατ' αὐτοῦ ἔγκλημα ἔθετο.

5 καὶ γὰρ δή φασί [1]) τινες αὐτὸν Ῥόδιον γεγονέναι. ἀπελύθη δὲ τὸ μὲν πρῶτον εἰπών (Hom. α 215 sq.):

„μήτηρ [2]) μέν τέ με φησὶ τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
„οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω“ [3]),

6 δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγεν. ὅθεν φησίν·

„αὐτὸς δ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἄπαθον
„ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν·
„εἰσελκύσας γάρ μ' εἰς τὸ βουλευτήριον
„διέβαλλε“ (Ach. 377 sqq.).

διήχθρευσε δὲ αὐτῷ ὁ Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ ξενίας κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἔθετο, καὶ [1]) ὅτι ἐν δράματι αὐτοῦ Βαβυλωνίοις διέβαλε [2]) τῶν Ἀθηναίων τὰς κληρωτὰς ἀρχὰς παρόντων ξένων.

ὡς ξένον δὲ αὐτὸν ἔλεγε παρόσον οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην [3]), στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλείστου χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε. κατὰ τινὰς δέ, ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης [4]). ἀπολυθῆναι δὲ αὐτὸν εἰπόντα ἀστείως ἐκ τοῦ Ὁμήρου (α 215 sq.) ταῦτα·

„μήτηρ μέν τέ με φησὶ τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
„οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.“

δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε, καὶ οὕτω φανερὸς κατασταθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος. ὅθεν φησίν· [5])

„αὐτὸς δ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἄπαθον [6])
„ἐπίσταμαι“ [7])

καὶ τὰ ἑξῆς (Ach. 377 sq.).

---

[1]) *φασί*] *φάσκει* V (quod e dittographemate *ΦΑCICEI* videtur natum). Cum Rhodio *Antiphane* permutatum esse Aristophanem probabilis est Rankii opinio (in Vita p. CCLVI).

[2]) Matris nomen cognoscere voluerunt posteri: *Zenodoram* vocat Thomas Magister in Vita comici, quam praebent codices recentiores (Parisinus Laurentianus alii).

[3]) Patrem comici ignotum fuisse cum e iocosis his verbis effecisset nescio quis, scripsit Aristophanem fuisse *ἀπόδουλον* sive sine nomine servi filium (Suidas i. v., infra pag. 179).

[1]) *καί*] del. Bergk; et melius sane sententia sic videtur decurrere, revera tamen etiam deterior fit (*ἐπειδή ... ὅτι*) et in unum iunguntur crimina diversissima: *ξενίας* et *κακονοίας εἰς τὸν δῆμον*. Evulsa haec sunt e scholiis Ach. 378.

[2]) *διέβαλε*] *διέβαλλεν* V.

[3]) *Αἰγινήτην*] Theogenes in libro de Aegina scripto perhibebat eum „*κατακληρῶσαι τὴν Αἴγιναν*“ (schol. Plat. Apol. 19 *c*).

[4]) Post *Αἰγινήτης* Blaydes addit *ἦν*, idem particulam *ὡς* damnat. Recte, nisi interpolantis manum arguit structura verborum impeditior.

[5]) *φησίν*] *φα'* V.

[6]) *ἄπαθον*] *ἅτ' ὧν ἔπαθον* V.

[7]) Post *ἐπίσταμαι* in V sequitur *δή*, quod corruptum e *διά*.

7 φασὶ δὲ αὐτὸν εὐδοκιμῆσαι συκοφάντας τινὰς καταλύσαντα, οὓς ὠνόμασεν ἠπιάλους ἐν Σφηξίν (vs. 1039), ἐν οἷς φησιν·

„οἳ τοὺς πατέρας ἦγχον νύκτωρ
καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον."

8 μάλιστα δὲ ἐπηνέθη καὶ ἐστεφανώθη θαλλῷ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας — ὃς νενόμισται ἰσότιμος χρυσῷ στεφάνῳ — εἰπὼν ἐκεῖνα ἐν τοῖς Βατράχοις περὶ τῶν ἀτίμων·

„τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιόν ἐστι
χρηστὰ τῇ πόλει
„συμπαραινεῖν" (Ran. 686 sq.).

9 τὴν δὲ ποίησιν αὐτοῦ οὕτως ἔνδοξον γενέσθαι φασὶν [1]) ὡς τὸν μὲν Περσῶν βασιλέα πυνθάνεσθαι παρ' ὁποτέροις εἴη ὁ κωμῳδοποιός, Πλάτωνα [2]) δὲ Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ, βουληθέντι μαθεῖν τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν, πέμψαι τὴν Ἀριστοφάνους ποίησιν, τὴν κατὰ Σωκράτους ἐν Νεφέλαις κατηγορίαν [3]).

---

[1]) *φασὶν] addidi. — In margine V est *ἐγῷ* (?).

[2]) *Πλάτωνα] Πλάτων* V.

[3]) *τὴν — κατηγορίαν] verba corrupta aut lacunosa temere del. Dindorf, item

φασὶ δὲ αὐτὸν εὐδοκιμῆσαι συκοφάντας τινὰς[1]) καταλύσαντα, οὓς ὠνόμασεν ἠπιάλους ἐν Σφηξίν (vs. 1039), ἐν οἷς φησιν·

„οἳ τοὺς πατέρας[2]) ἦγχον νύκτωρ
καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον."

μάλιστα δὲ ἐπηνέθη καὶ ἠγαπήθη ὑπὸ τῶν πολιτῶν σφόδρα ἐπειδὴ διὰ[3]) τῶν αὐτοῦ δραμάτων ἐσπούδασε δεῖξαι τὴν πολιτείαν Ἀθηναίων ὡς ἐλευθέρα τέ ἐστι καὶ ὑπ' οὐδένος τυράννου δουλαγωγουμένη, ἀλλ'[4]) ὅτι δημοκρατία ἐστὶ καὶ ἐλεύθερος ὢν ὁ δῆμος ἄρχει ἑαυτοῦ[5]). τούτου οὖν χάριν ἐπηνέθη καὶ ἐστεφανώθη θαλλῷ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας — ὃς νενόμισται ἰσότιμος χρυσῷ στεφάνῳ — εἰπὼν ἐκεῖνα τὰ ἐν τοῖς Βατράχοις περὶ τῶν ἀτίμων·

„τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιον πολλὰ
χρηστὰ τῇ πόλει
„συμπαραινεῖν" (Ran. 686 sq.).

ὠνομάσθη δὲ ἀπ' αὐτοῦ, ἐπεὶ ἔνδοξον, τὸ μέτρον τὸ Ἀριστοφάνειον[6]).

οὕτω δὲ[7]) γέγονεν ἡ φήμη τοῦ ποιητοῦ ὡς καὶ παρὰ Πέρσας διήκειν καὶ τὸν βασιλέα Περσῶν πυνθάνεσθαι παρ' ὁποτέροις εἴη ὁ κωμῳδο-

---

[1]) *τινὰς*] om. V; supplevi e vita A.

[2]) Post *πατέρας* in V additum est *αὐτῶν*.

[3]) *διὰ*] *δὲ διὰ* V, sic Gelenius, post *σφόδρα* colon, post *ἑαυτοῦ* virgulam scribens deleto *οὖν*. Non recte.

[4]) *δουλαγωγουμένη ἀλλ'*] *διαγωγουμένη ἀλλ' οὐδὲ* V (abiit correctio prisca *ΟΥΔ* in particulam *ΟΥΔ*).

[5]) Stulte versus Ach. 641 sq. interpretantis hoc esse vidit Ranke.

[6]) E scholio Nub. 961 excerpta in locum alienum migrarunt. Post *ἔνδοξον* videntur intercidisse verba *δι' αὐτοῦ ἐγένετο*.

[7]) *οὕτω δὲ*] requiritur *οὕτω δὲ μεγάλη* vel simile adiectivum.

ποιός. φασὶ δὲ καὶ Πλάτωνα Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ, βουληθέντι μαθεῖν τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν, πέμψαι τὴν Ἀριστοφάνους ποίησιν, τὴν κατὰ Σωκράτους ἐν Νεφέλαις κατηγορίαν, καὶ συμβουλεῦσαι τὰ δράματα αὐτοῦ ἀσκηθέντα μαθεῖν αὐτῶν τὴν πολιτείαν.

10 ἐγένετο δὲ καὶ αἴτιος ζήλου τοῖς νέοις κωμικοῖς, λέγω δὴ Φιλήμονι καὶ Μενάνδρῳ. ψηφίσματος γὰρ γενομένου χορηγικοῦ [1] ὥστε μὴ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν τινα, καὶ [2] τῶν χορηγῶν οὐκ ἀντεχόντων πρὸς τὸ χορηγεῖν [3] καὶ παντάπασιν ἐκλελοιπυίας τῆς ὕλης τῶν κωμῳδιῶν διὰ τοῦτο αὐτό [4], αἴτιον [5] γὰρ κωμῳδίας τὸ σκώπτειν τινάς, ἔγραψε Κώκαλον [6], ἐν ᾧ εἰσάγει φθοράν καὶ ἀναγνωρισμὸν καὶ τἆλλα πάντα ἃ ἐζήλωσε Μένανδρος.

11 πάλιν δὲ ἐκλελοιπότος καὶ τοῦ χορηγεῖν τὸν Πλοῦτον γράψας, εἰς τὸ διαναπαύεσθαι τὰ σκηνικὰ πρόσωπα ἐπιγράφει „χοροῦ", φθεγγομένου [7] ἐν ἐκείνοις· ἃ καὶ ὁρῶμεν τοὺς νέους οὕτως ἐπιγράφοντας ζήλῳ Ἀριστοφάνους [8].

12 τελευταῖον δὲ διδάξας τὸν Πλοῦτον συνέστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα, καὶ οὕτω μετήλλαξε τὸν βίον, παῖδας καταλιπὼν δύο, Ἀραρότα καὶ Φίλιππον [1], ὧν [2] αὐτὸς ἐπεμνήσθη· ἐν τούτῳ δὲ τῷ δράματι συνέστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα, καὶ οὕτω μετήλλαξε τὸν βίον, παῖδας καταλιπὼν τρεῖς, Φίλιππον ὁμώνυμον τῷ πάππῳ καὶ Νικόστρατον

Bekker in Vita B. Exciditne ἐξελόντα ante τήν, an legendum πλὴν τῆς — κατηγορίας? Nisi conflatae sunt duae notulae: Atheniensium remp. cognoscere cupienti eum misisse τὴν Ἀριστοφάνους ποίησιν et: τὴν κατὰ Σωκράτους κατηγορίαν cognoscere cupienti misisse τὰς Νεφέλας. Ceterum Bode coniecit κακηγορίαν.

[1]) Item poetam comicum, qui bis vicit Magnis Liberalibus (Ditt. Syll.[1] 425).

[2]) ὧν] ὡς V. Cf. Vita B.

[1]) χορηγικοῦ Meineke] -γοῦ V.

[2]) καὶ] ἐπεὶ καὶ V; *ἔτι, καὶ?

[3]) Verba καὶ τῶν χορηγῶν — χορηγεῖν hinc aliena. Cf. § sequens.

[4]) *τοῦτο αὐτό] τούτων αὐτῶν V, Bekker ταῦτα.

[5]) αἴτιον] ἴδιον Beck.

[6]) Κώκαλον] κωμῳδίας τινὰς Κώκαλον V, quod dittographema videtur male expletum (κω....), non in κωμῳδίαν τινὰ Κ. (sic Bekker) mutandum.

[7]) *φθεγγομένου] φθεγγόμενος V.

[8]) πάλιν—Ἀριστοφάνους] secludit Bergk. Et perperam sane Cocalus anteponitur Pluto et de voce „χοροῦ" inepte disputatur.

„τὴν γυναῖκα δὲ [1])
„αἰσχύνομαι τώ τ᾽ οὐ φρο-
νοῦντε παιδίω“ [2]),
Ἀραρότα ἴσως [3]) καὶ Φίλιππον
λέγων. ἀναγράφει δὲ <Ἀπολλό-
δωρος> [4]) καὶ τρίτον Νικόστρα-
τον. κατέστρεψε δὲ τὸν βίον δια-
φερόντως τιμηθεὶς καὶ πολλὰ
στεφανωθείς.

13 κατέλιπε [5]) δὲ δράματα μδ΄,
ἐν τούτοις τὰ ἀντιλεγόμενα δ΄.
ἀποθανόντι δὲ αὐτῷ ἐπὶ τῷ μνή-
ματι παρὰ Πλάτωνος ἐπίγραμμα
τοιοῦτον γέγραπται·

„αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν
ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
„ζητοῦσαι ψυχὴν ηὗρον
Ἀριστοφάνους“ [6]).

καὶ Ἀραρότα, δι᾽ οὗ καὶ ἐδίδαξε τὸν Πλοῦτον. τινὲς δὲ δύο φασί, Φίλιππον καὶ Ἀραρότα, ὧν καὶ αὐτὸς ἐμνήσθη·

„τὴν γυναῖκα δὲ
„αἰσχύνομαι τώ τ᾽ οὐ φρονοῦντε
παιδίω“.

ἴσως αὐτοὺς λέγων.

ἔγραψε δὲ δράματα μδ΄, ὧν ἀντιλέγεται τέσσαρα ὡς οὐκ ὄντα αὐτοῦ. ἔστι δὲ ταῦτα Ποίησις Ναναγὸς Νῆσοι Νίοβος, ἃ τινες ἔφασαν εἶναι Ἀρχίππου.

---

[1]) δὲ] om. V.

[2]) Hoc fragmentum (588) aliunde non est cognitum.

[3]) Ἀραρότα ἴσως] Ἀραρόταις· ὡς V.

[4]) Pro ἀναγράφει Meineke coniecit ἀναγράφουσι, sed integrum esse verbum, intercidisse autem *Apollodori* nomen efficio e scholio Plat. Apol. 19*c* (infra p. 178 sq.). — Tertium filium *Philetaerum* (clarum comicum) vocabat Dicaearchus, quem secutus est Suidas in Vita Aristophanis. Ad dictionem quod attinet, cf. schol. Av. 281.

[5]) κατέλιπε Parisinus] κατέλειψε V, quod ex ἔγραψε et κατέλιπε conflatum.

[6]) Affert hoc epigramma etiam Olympiodorus in Vita Platonis.

Vitae igitur B propria haec sunt:

(§ 3) Cleonem cum metuerent omnes, neque vultum eius imitari aut partes eius in scena agere auderet quisquam, Aristophanes facie miniata ipse histrionis officio functus effecit ut quinque talentis Cleon multaretur; id quod comicus in Acharnensibus testatus est.

Quot verba tot mendacia haec esse nemo non videt; hic demonstrari minime opus. Pergit sciolus:

(§ 4) Nempe infestus Cleoni erat Aristophanes quod ξενίας se insimulasset et quod in Babyloniis de re publica male dixisset; ξενίας autem reum fecit ille utpote Rhodium vel Aeginetam.

Haec adeo sunt turbata ut vix appareat uter utrum accusaverit; qui ut librariorum sit error, ab ipso utique grammatico permiscentur quae ante et quae post Equites fabulam scenae commissam acciderunt.

Dein quae grammaticus vetustior — non optime quidem et nimis succincte, nec tamen absurde — narravit (§ 5—8), in alia omnia detorquentur. Ille: „primum quidem accusatus comicus ioco vicit apud iudices clementes, dein vero iterum tertiumque reus factus vix purgavit crimina; at mox apud cives inclaruit propter sycophantas quosdam devictos, maxime autem laudatus et splendido praemio ornatus est propter Ranas fabulam." Recentior vero biographus omisit illud τὸ μὲν πρῶτον", in quo sunt omnia, cetera ita mutavit:

comicus cum apud iudices vicisset et civis optimo iure esset agnitus, Cleonem debellavit

et: civibus gratus fuit ob crebras quas eius fabulae habent laudes civitatis.

Tum de metro Aristophaneo aliqua inserta sunt verba a contextu aliena et de Philemone Menandroque Aristophanis imitatoribus quaedam nihilo aptiora huic loco aptioribusve verbis expressa.

Sequitur notula perinepta de parepigrapha „χοροῦ" in Pluti fabulae exemplaribus lecta. Quae inserta effecit ut ad Plutum

iam referenda videantur quae de Cocalo (et de Aeolosicone) recte fuerant dicta. Post Plutum scenae commissam a comico filium civibus propositum ait vita brevior: Plutum eum filio dedisse docendam, quem civibus sic proponeret, ait vita B cum Pluti argumento concinens.

Denique de fabularum suspectarum nominibus aliquid est additum; quod licet notatu sit dignissimum, ab ipsa vita alienius.

Itaque res eo redit ut aut breviorem vitam, quae ex Apollodoro excerpta videtur, ita decurtatam esse dicamus ut recide-rentur quaecunque in longiore essent molesta, aut agnoscamus id quod oculos ferit: illam esse integram, hanc interpolatam, Rankium igitur recte dixisse [1]) a stolido grammatico suis addi-tamentis auctam.

Neglecta iam vitae recensione ampliore, breviorem paullisper etiam perpendamus.

Patris Philippi nomen non est cur addubitemus, cum prae-sertim confirmari videatur alterius filii poetae comici nomine [2]).

Cydatheniensis quod vocatur comicus [3]), fidentius id crederemus, nisi e Vesparum fabulae noto loco perperam intellecto originem habere posset haec fama. Quo loco canis Cydathe-niensis sive Cleon canem Aexonensem sive Lachetem furti

---

[1]) In vita Ar. p. XCVI (a. 1830). Qui quod a *Dicaearcho* breviorem illam concinnatam perhibuit, errore ductus fecit; scribit enim a Dicaearcho quoque, ut in vitis A et B, tertium comici filium non Philetaerum sed Nicostratum esse appellatum; quam rem secus habere apparet inspecto scholio Platon. Apol. 19 *c*, infra p. 178 sq.

[2]) „Videri" scripsi, quoniam ne id quidem omni dubitatione exemptum mihi videtur, Philippum comicum poetam fuisse Aristophanis filium. Et ad patris nomen quod attinet, quoniam Porphyrius Horatii verbis deceptus (Epist. II 2, 60) *Bionem* quendam commentus est Aristophanis patrem (cf. Ranke p. LIV, 12 et CLXXXIII, 72) quidni etiam Philippus ille ex veteris alicuius scriptoris ipsiusve comici verbis non recte intellectis prodierit?

[3]) In vita B etiam tribus nomen commemoratum, quod tamen nihil valet ad fidem faciendam; quoniam pagum qui novit, etiam tribum novit. Et potuit e Pac. 1183 illud nomen sumi; quo tamen loco non poeta significatur, sed Cleony-mus taxiarchus tribus Pandionidis.

insimulat [1]), facile autem lectores minus periti poterant putare ipsum poetam ibi dici accusatorem [2]).

„Primas fabulas Callistrato et Philonidi credidit comicus, ab aemulis ideo derisus, postea etiam suo nomine docuit. Equites fabulam cum in Cleonem scripsisset et ipse egisset, ξενίας est insimulatus; et primo quidem facetiis feliciter se defendit, iterum vero tertiumque cum in ius esset vocatus, non sine damno effugit." — Ultima non satis subacti iudicii; temporis enim ratione neglecta, in rebus quae post Equites fabulam datam acciderunt enarrandis testimonium petitur ex Acharnensibus fabula.

„Sed mox ei crevit laus." — Libenter credimus, sed καταλῦσαι συκοφάντας quod dicitur poeta, laudes quibus ipse iocans se cumulavit serio acceptae in eum conferuntur; quasi Aristophanis fuerit id quod anno 411 fuit quadringentum vel anno 404 triginta virum: cavere ὅπως μὴ εἴη τοῖς συκοφάνταις ἔφοδος [3]).

„Praesertim placuit Ranae fabula. Sacrae olivae surculo poeta ob eam est donatus." — Fama non suspecta, quoniam fabulam etiam bis deinceps datam affirmat testis idoneus [4]), et Pericli Thrasybuloque idem praemium datum constat, ut de patria bene meritis [5]). Quod vero eodem pretio quo coronam auream hoc praemium habitum esse addit biographus, vereor ne e Pluto fabula id duxerit [6]).

„Quin adeo inclaruit ut rex Persarum" ... aures manibus occludimus, nam nimis ridiculus est grammaticus serio afferens verba, quibus comicus χαριεντιζόμενος ψευδῶς λέγων — ut prudentior quidam olim annotavit interpres — ipse se collaudavit [7]).

„Plato fertur Dionysio misisse fabulas Aristophanis, unde

---

[1]) Vesp. 895.

[2]) Me certe, cum rudis olim ad Aristophanis lectionem invenis accessi, aliquantisper id putasse memini.

[3]) Xen. Hell. II 3 § 12 Lys. XIII § 5 [Aristot.] Rep. Athen. 35 § 2.

[4]) Dicaearchus in Argumento Ranarum.

[5]) Valer. M. II 6 § 5 Nep. Thrasyb. 4.

[6]) Plut. 586.

[7]) Ach. 646 sqq.

Atheniensium remp. cognosceret." — Narratiuncula ut incerta [1]), sic haud absurda.

„Ultimam fabulam docuit Plutum, dein Ararotem civibus commendavit; vita autem functus reliquit filios Ararotem et Philippum, fortasse etiam tertium Nicostratum." — Trimetri, quibus duorum infantulorum in aliqua eius fabula fiebat mentio, quo iure ad ipsius liberos fuerint relati nescimus, quoniam contextum ignoramus. Nihil quidem obstat quominus duorum aliquando filiorum mentionem fecerit, moriens autem tres reliquerit; sed incerta haec omnia.

36 τούτων οὖν προσώπων τὸ ὅλον ἄθροισμα, ὃ καὶ χορὸς ἐκαλεῖτο, εἰσελθὸν εἰς τὴν ὀρχήστραν, ἣν ἔφασαν καὶ λογεῖον (ἐκαλεῖτο δὲ ἡ εἰσέλευσις εἴσοδος, καὶ ἐπήλυσις καὶ ἐπίβασις καὶ πάροδος καὶ παράβασις), εἰσελθὸν οὖν καὶ παραβὰν εἰς τὴν ὀρχήστραν πρὸς τοὺς ὑποκριτὰς τὸν λόγον ποιούμενον, τὸ πρόσωπον βλέπον εἶχε πρὸς τὴν σκηνήν· ἐξελθόντων δὲ τῶν ὑποκριτῶν, πρὸς τὸ τοῦ δήμου μέρος ἐστρέφετο ἢ τὸ δεξιὸν ἢ τὸ ἀριστερόν· καὶ πάλιν ἀντεστρέφετο πρὸς τὸ ἕτερον καὶ ἔλεγέ τι ἑκατέροις τοῖς μέρεσι· εἶτα ἐξήρχετο καὶ τέλος τὸ δρᾶμα ἐλάμβανεν. ταῦτα μὲν οὖν ἦσαν πρακτικὰ τέσσαρα μέρη τοῦ
37 δράματος· παράβασις, στροφή, ἀντίστροφος καὶ ἔξοδος. καὶ λογικὰ δὲ μέρη αὐτῆς τέσσαρα· ἀντὶ παραβάσεως ἦγουν πρώτης βάσεως πρόλογος, ἀντὶ δὲ στροφῆς καὶ ἀντιστρόφου ᾠδὴ καὶ ἀντῳδὴ ἢ ἐπίρρημα καὶ ἀντεπίρρημα, ἀντὶ δὲ ἐξόδου ᾠδὴ καὶ ῥῆμα ἐξιτήριον. ταῦτα μὲν τὰ τέσσαρα μέρη πρακτικὰ καὶ λογικὰ τῶν δραματικῶν ποιημάτων ὑπῆρχε.

38 τῶν δὲ λυρικῶν συγγραμμάτων τρία ἦσαν τὰ μέρη· στροφή, ἀντίστροφος καὶ ἔξοδος ἢ ἐξέλευσις, πρακτικά· λογικὰ δὲ ᾠδή, ἀντῳδὴ καὶ ἐπῳδός. ἡ οὖν ἀντῳδὴ τῇ ᾠδῇ ἰσαρίθμους ἔχει στίχους καὶ τοῖς αὐτοῖς μέτροις ἑκατέρα χρῆται. ὁ δὲ ἐπῳδὸς διάφορα ἐκείνων ἔχει καὶ τῷ ἀριθμῷ καὶ
39 τῇ ποιότητι οὐδαμοῦ. ἐφθέγγοντο δὲ καὶ οἱ λυρικοὶ πρὸς ἑκάτερα μέρη τοῦ δήμου ὁρῶντες, πρῶτον μὲν τὴν ᾠδήν, εἶτα τὴν ἀντῳδήν, ἐπὶ δὲ τῷ τέλει τὸν ἐπῳδὸν ἤγουν ὑστερῳδήν τε καὶ ἐπίλογον, εἰς εὐχὰς τὸ πλεῖστον αὐτῶν περικλείοντες. προοίμιον δὲ τούτοις οὐκ ἦν ὡς ἐκείνοις, ὅτι ἅμα τῷ εἰσελθεῖν εἰς τὸ θέατρον πρὸς τὸν δῆμον στραφέντες τὸ αὐτὸ ἔλεγον καὶ στροφὴν καὶ προοίμιον.

De metris ab Aristophane adhibitis.

De metris ab Aristophane adhibitis [1]).

§ 1. De iambis trimetris.

Trimeter comicus sermonem quotidianum imitatur. Metro quidem adstricta sunt verba, et arte profecto subtilissima adstricta, sed eo praesertim tendit haec ars ut latitet ipsamque vitae communis dictionem — nam ὁ ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν [2]) — referre videatur, nullis nisi quas natura scripsit legibus obtemperantem.

Multum igitur, ut inter dictionem soccatam et cothurnatam, sic inter ipsos numeros trimetrorum comicorum et tragicorum interest. Quod quantum sit discrimen, praesertim apparet in pedum trisyllaborum usu. De his igitur breviter disputandum.

---

[1]) In hoc commentariolo adhibita sunt signa quae sequuntur:
/ ictum metricum indicat.
∪ syllabam brevem sive unius morae.
– syllabam longam sive duarum morarum.
⌊— syllabam trium morarum.
⌊⌋ syllabam quatuor morarum.
⌊⌋⌋ syllabam quinque morarum.
∧ silentium per unius morae intervallum.
$\overline{\wedge}$ silentium per duarum morarum intervallum.
$\underline{\vdash}$ silentium per trium morarum intervallum.
⏑⏑ indicat syllabas duas loco unius esse adhibitas; e. g. e trochaeo fit tribrachys ⏑⏑⏑, ex iambo tribrachys ∪⏑⏑ vel anapaestus ⏑⏑⌊.

[2]) Arist. Rhetor. III 8 § 4, cf. 1 § 9 Poet. 4 § 19 sq.

Trimetri schema hoc est:

⏓ –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ – [1]),

solutos autem pedes tragici poetae non nisi parce admiserunt, parcissime Aeschylus, nec multo liberius primitus Sophocles aut Euripides, postea minus severi, praesertim hic. Comicus vero iambus solutiones appetit potius quam vitet, ita ut trimetri duodecim syllabarum in comoediis rariores sint quam soluti et ibi potissimum reperiantur ubi tragicos poeta imitetur [2]). Permulti autem comicorum trimetri duos pluresve pedes habent solutos, permulti duos deinceps solutos, non pauci tres.

In solvendis autem pedibus tres valent leges, quas ipsa tulit linguae indoles:

1) duae breves syllabae cum locum longae ictum habentis implent, *ictus incidit in priorem.*
2) *tres deinceps* syllabae ictu ne carento [3]).
3) in *brevem* syllabam *finalem* ictus ne incidito [4]).

Primi pedis ictus cum incidit in syllabam brevem (⏓ –́ ⏑), totus pes expleri solet uno vocabulo (trisyllabo vel polysyllabo), *secunda* igitur huius vocabuli syllaba ictum habet; *ceterorum* pedum ictus in eas tantum syllabas breves incidere solet, quae vocabulum *aperiunt.* Ab utraque regula raro recessere tragici, Aristophanes vero frequenter.

---

[1]) Iambi puri apud tragicos rari sunt, apud Aristophanem multo etiam rariores.

[2]) Cf. e. g. Pac. 124 sqq.

[3]) Vitiose igitur traditi sunt trimetri, quibus haec lex violatur: Ach. 47, 615, 733, [928] Nub. 663 Vesp. 1169 Pac. 246 Av. 108, 1283 Thesm. 285 Eccl. 315 fr. 345. Item iambus dimeter Thesm. 822, tetrameter Nub. 1063. Cf. etiam de anapaestis pag. 219, 6. In *canticis* non valet haec lex; ibi igitur in *proceleusmaticos* solvi possunt *anapaesti*: ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ (cf. pag. 219, 7), vel *ionici* sic formati se excipere: ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –́ – (Thesm. 102).

[4]) Hanc ob causam suspecta est tradita lectio Ach. 71, 1023 Plut. 838, Eq. 508 autem praeferenda est lectio codicis R; cf. etiam ibidem 787 Eccl. 518, 595. Corrupti sunt Eur. El. 324 Hel. 700, neglegentius structi Bacch. 285 Or. 2. — Praepositiones cum nomine suo pro uno vocabulo habentur, encliticae (et in pede primo γάρ) vocibus disyllabis subiunctae pro syllabis finalibus sunt. Sed alia quoque vocabula quae arte cohaerent hic illic ita reperiuntur collocata ut prioris vocabuli syllaba finalis brevis habeat ictum, e. g. αὐ | τίκα μά | λα Eq. 746.

Anapaestos tragoedia non nisi in sedem primam nec nisi parcius admittebat primitus, postea nomina propria anapaestum implentia in ceteras quoque sedes hic illic irrepserunt. Aliquanto liberius anapaestos admisit drama satyricum, quantum quidem ex unico quod aetatem tulit satyrico, Cyclope Euripideo potest effici. Maxima vero cum libertate anapaestis usa est comoedia, ita ut alter quisque e comicorum trimetris unum pluresve pedes habeat ita conformatos [1]). Sedulo tamen Aristophanes — perinde atque poetae tragici — operam dedit ut *una* potissimum *voce* singulos anapaestos complecteretur, praepositiones et voculas procliticas pro syllabis initialibus habens, encliticas autem ceterasque unde oratio incipi nequit pro finalibus. Quamquam et alia vocabula arte cohaerentia pro una voce ei sunt multis locis, e. g. *πέν | τε ταλάν | τοις, μή | τε δάκνειν |, νὴ | Δί' ἐμή |, ἐπί | σκοπος ἥ | κω, ἔμ | πορος εἶ | ναι, ὦ τύμ | πανα καὶ | κύφωνες* [2]).

Spondeos e syllabis *finali* et *initiali* compositos in pedem

---

[1]) Uno loco — sed ioci causa — quinque deinceps anapaestos comicus collocavit, Vesp. 979.

[2]) Cuiusmodi iunctura ubi deest, suspicionem movent numeri, e. g. Ach. 107 *χρυ | σίον ἐκ | τῶν βαρβάρων* (*χρυσὸν* Elmsley); certe rarissimi sunt eiusmodi versus. Rarius etiam in anapaesto interciditur oratio: Nub. 684 *Δύσιλ | λα, Φίλιν | να*, Av. 1226 *ἄρ | ξομεν, ὑ | μεῖς δ'*, Ran. 1393 *μεθεῖ | τε, μεθεῖ | τε* (ubi certum est vitium, numeris autem magis commendatur quod proposuit Elmsley *κόκκυ, μέθεσθε*, quam *μέθεσθε, μέθεσθε*, quod Porson), 1462 *μὴ δῆ | τα σύ γ', ἀλλ' | (μὴ ἐκεῖ* Elmsley), Thesm. 340 *κατεῖ | πέ(ν) τις, ἦ | (κατεῖπεν, ἦ* Bentley), et vitium manifestum hoc indicio deprehenditur Ran. 557 *εἶ | χες, ἀνα | γνῶναι*, ubi *ἂν γνῶναι* (Elmsley) legendum esse docet contextus; item Nub. 876 *καίτοι | γε ταλάν | του τοῦτ' ἔμαθεν Ὑπέρβολος* grammatica poscit *ταλάντου γ' ἔμαθε τοῦθ'* (Hermann) vel *τοῦτό γ' ἔμαθ'* (Porson). Longe autem suspectissimi sunt versus ubi persona mutatur intra anapaestum: Vesp. 1369 *τῶν ξυμποτῶν κλέψαν | τα; — ποίαν | αὐλητρίδα* (*ποίων ξυμποτῶν* Elmsley, *πόθεν; αὐλητρίδα* Dindorf), Av. 1206 *ἀναπτόμενος τρίορ | χος; — ἐμὲ | ξυλλήψεται* (*συλλ.* Elmsley), Thesm. 219 *χρῆσόν τί νυν ἡμῖν | ξυρόν. — αὐ | τὸς λάμβανε* (*σὺ λάμβανε* vVelsen), Ach. 800 *χοῖρε χοῖ | ρε! — κοῖ | κοῖ* (*χοιρίον! — κ. κ.* Elmsley). Elisione autem ubi anapaesti poterant vitari, praesertim intercisi, quin vitaverit poeta dubitari nequit. Itaque e. g. *ποῦ ἐσθ'; — ὁποῦ* scribendum est Nub. 214, *ἑστᾶσ' ἐφεξῆς* Eccl. 842, non *ποῦ ἐ | στιν. — ὁποῦ |, ἑστᾶ | σιν ἐφε | ξῆς*. Neque dubium est Pac. 233 utrum verum sit quod praebet codex R: *θορυβεῖ γοῦν ἔν | δοθεν. — οἵ | μοι δείλαιος*, an *ἔνδον*, quod V; neque Ach. 912 utrum *φαίνω πολέμια ταῦ | τα. — τί δὲ | κακὸν παθών* sit scribendum ex correctione Bentlei, quam nuper confirmavit papyrus V^i vel VI^i saeculi, — si quidem opus fuit certam emendationem etiam confirmari, - an servandum sit quod habet R *δαί* pro *δέ*.

quintum non admittebat tragoedia; comicos vero hanc legem non curasse primus statim primae quae ad nos pervenit comoediae Aristophaneae docet versus:

ὅσα δὴ δέδηγμαι τὴν ἐμαυ | τοῦ καρ | δίαν [1]).

Dactylum spernebat pes *quintus* trimetri tragici, apud Aristophanem illa sede dactylus haud ita raro reperitur.

Syllabas *ancipites* poetae tragici pro longis nonnunquam prisco more adhibuerunt, — metro plerumque coacti, — nunquam comici, nisi in tragicae vel lyricae vel epicae dictionis imitatione.

Hiatus nullos admisit tragoedia, comoedia admisit — utpote necessarios — post *τί*, *ὅτι*, *περί*, perinde atque sermo familiaris. Etiam locutiones *εὖ ἴσθι*, *εὖ οἶδα*, *ὦ οὗτος*, *ὦ Ἡράκλεις*, *οὐδὲ εἷς*, *οὐδὲ ἕν* poetae comici e vita quotidiana desumserunt; qualia vitari non poterant nisi oratione artificiosius structa atque fucata.

Etiam in syllabis *elisione*, *aphaeresi*, *crasi*, *synizesi* supprimendis multo maiore libertate usa est ars poetarum comicorum quam tragicorum. Sic sonum finalem *-αι* tragoedia elisione nunquam suppressit, saepe vero comoedia — ut epici poetae — in terminis medialibus *-μαι -ται -σθαι* [2]).

Non eliditur syllaba *-οι* nisi in locutione: *οἴμ'(οι) ὡς . . .!* [3])

Comici igitur trimetri schema hoc est:

⏑ ∠ ∪ _ ⏑ ∠ ∪ _ ⏑ ∠ ∪ _ [4])
⏑⏑∪∪∪ ⏑⏑∪∪∪ ⏑⏑∪
∪∠∪∪_ ∪∠∪∪_ ∪∠

Trimetros duos tragici poetae nonnunquam inter se *ligarunt*, in exitu prioris collocata praepositione vel articulo vel coniunc-

---

[1]) Quo indicio trimetri quidam, quos comicus ad tragicae artis imitationem confecit, dignosci possunt a trimetris quos e tragoediis attulit integros; cf. e. g. Ach. 440.

[2]) Etiam *-σαι* secundae personae terminus nonnunquam eliditur, non vero infinitivi activi termini *-ναι* vel *-σαι* (nisi in chori versibus Eupolideis Nub. 523 et 550). Unde arguitur vitium Av. 1340 *ψευδαγγελὴς εἶν'* leg. *ψευδαγγελήσειν* (Bentley).

[3]) Ach. 590, 1117 etc.; fortasse etiam *μοι* verbo *ἀρέσκειν* adiunctum (cf. Vesp. 776 Ran. 103).

[4]) Ultimus trimetri pes salvis numeris solvi non potuit; ioci tamen causa solutus est Ran. 1203.

tione *καί*. Rarissime Aeschylus: *πρὸς | ἄλλοισιν* [1]). Multo frequentius, in ultimo praesertim dramate Philoctete, Sophocles; qui et elisione exitum trimetri cum initio sequentis iunxit nonnunquam, tum potissimum cum post pedem quintum vel quartum incidisset orationem:

ὑφ' οὗ κενοῦται δῶμα Καδμεῖον· μέλας δ'
Ἅιδης στεναγμοῖς καὶ γόοις πλουτίζεται [2])

vel:

εὖ σοι φρονήσας εὖ λέγω· τὸ μανθάνειν δ'
ἥδιστον εὖ λέγοντος, εἰ κέρδος λέγοι [3]).

Quod „*εἶδος Σοφοκλεῖον*" [4]) alii tragici non sunt imitati. Comicus autem non nisi raro hanc sibi sumsit libertatem [5]), praepositione vero, articulo, coniunctione complures trimetros clausit aliave ratione cum vicinis artissime colligavit [6]).

Inter *binos actores* versus non distribuit Aeschylus, Sophocles raro olim, nec nisi in mediis versibus facta mutatione loquentium, postea paullo frequentius et liberius; item Euripides. Maxima vero libertate eiusmodi *ἀντιλαβὰς* admisit Aristophanes, hac quoque in re sermonem familiarem imitatus. Exemplo hic sit trimeter:

A. καὶ ποῦ ἐστιν; — *B. ἔνδον.* — *A. ποῦ*; — *B. παρ' ἐμοί.* — *A. παρὰ σοί*; — *B. πάνυ.*

§ 2. De iambis tetrametris.

A lyricis poetis, dein frequenter a comicis adhibitus est iambus tetrameter catalecticus; qui a tragoedia alienus est. Uti

---

[1]) Aesch. Eum. 238 sq.

[2]) Oed. R. 29; item vs. 332, 785, 791, 1184, 1224 El. 1017.

[3]) Antig. 1031; item Oed. C. 17. Sed Oed. C. 1164 cum versu sequenti confluxit totus. Etiamne Phil. 645 *λαβόνθ'* (Dobree) et in anapaesti dimetri exitu *θ'* (Musgrave) Phil. 1455?

[4]) E Calliae „tragoedia grammatica" desumtum nugatur nescio quis apud Athenaeum 453*e*, fortasse comicorum aliquo ioco parum intellecto.

[5]) Av. 1716 Ran. 298 Eccl. 351. — Admodum insolitum et vix integrum est *ἀλλὰ προ- | βούλευμα βαστάζουσι* in Eupolidis fr. 73.

[6]) Thesm. 386 Vesp. 504 Lys. 1176 etc.

hoc metro solent qui animo sunt concitatiore, sive choreutae in orchestram irruentes [1]), sive actores violentius verborum certamen ineuntes [2]).

Post dipodiam secundam solet esse *pausa*; non tamen rari — in dialogis praesertim — sunt versus qualis hic est:

οὐδ' ἄλλος ἀνθρώπων ὑποψωνῶν σε πημανεῖ τι.

Quinque pedes primi eisdem legibus tenentur quibus numeri trimetrorum, nisi quod pes *quartus* non admittit *anapaestum* [3]), nec nisi raro tribrachyn; in *sexto* autem pede etiam tribrachys et anapaestus [4]) locum habent. *Septimi* pedis prior syllaba *brevis* est semper.

Schema igitur hoc est:



Nonnunquam iambis tetrametris Aristophanes usus est *mediis intercisis* sic:



ex. g.:

καὶ ταῦτα τοὐλαίου σπανίζοντος, ὦ ἀνόητε.
τὸν πηλόν, ὦ πάτερ, πάτερ, τουτονὶ φύλαξον.

et sine catalexi:



ex. g.

ἔπεσθέ νυν γάμοισιν, ὦ φῦλα πάντα συννόμων.

In cuiusmodi versibus rariores sunt solutiones, e. g.:

νῦν ἱερὸν ἀνὰ κύκλον θεᾶς, ἀνθοφόρον ἀν' ἄλσος.

---

[1]) Lys. 254 sqq. Eccl. 479 sqq. Plut. 253 sqq.

[2]) Eq. 335 sqq. Nub. 1034 sqq. Ran. 905 sqq.

[3]) Habet tamen anapaestum sedes quarta Thesm. 550 Ran. 912 (in nominibus propriis) et in versibus corruptis Nub. 1427 Thesm. 560 Ran. 932, 937 fr. 569[5] Cratin. 43.

[4]) Nub. 1066, 1075 Eq. 909 Thesm. 568 Ran. 917. — *Septima* sedes anapaestum habet uno loco Thesm. 547 (in nomine proprio).

§ 3. De iambis dimetris et monometris.

Ut versus heroicus, sic scenicorum versus tetrametri e binis membris coaluerunt. Et iambos tetrametros tam penitus sensim coaluisse ut locus commissurae sive pausa, quae post dipodiam secundam erat legitima, a poetis comicis tute potuerit neglegi, modo vidimus; de trochaeis tetrametris idem valere mox videbimus. In anapaestis vero pausa sedulo semper est servata.

Orationes longiores tetrametris conceptae claudi solent aliquot dimetris, intermixtis saepe uno pluribusve monometris, sic fere:

⏓ ⏑́ ⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ – (etc.)

⏓ ⏑́ ⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ – (etc.)

⏓ ⏑́ ⏑ –

⏓ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ –

Sed et soli per se dimetri multis locis sunt usurpati aliterve cum versibus longioribus coniuncti, e. g. sic:

⏓ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ –

⏓ ⏑́ ⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ – [1])

Numerorum libertas in dimetris eadem quae in tetrametris; eisdem igitur sedibus usurpantur spondei, tribrachyes, dactyli, anapaesti. Sed systematum membra quoniam artissime inter se cohaerent et revera unum versum efficiunt praelongum [2]), non nisi in fine systematum concessus est hiatus aut brevis syllaba pro longa habetur.

§ 4. De syllabarum in iambis suppressione.

Syllabae brevis in dipodia finali suppressione (⏑ ⏑́ –) clauduntur iambi tetrametri et iamborum systemata. Dici haec suppressio solet *catalexis* et catalectici vocantur versus ita formati.

---

[1]) Ran. 416 sqq.

[2]) Ingens (membrorum undetriginta) systema est Eq. 911 sqq.

In *canticis* etiam aliis iamborum sedibus huiusmodi suppressione poetae saepe sunt usi, e. g.:

τί πάσχεις; τί κάμνεις; [1])

Sed multo frequentius in canticis supprimitur dipodiarum syllaba initialis (⏓ ⏑́ ⏑ ⏓ ⏑́ ⏑ –). *Tetrametros* ita intercisos vidimus in § 2; etiam *trimetri* sic interciduntur nonnunquam:

ἰή, ἰή, χαῖρε, Λαμαχίσκιον!

Et cum catalexi:

ἐκεῖνο δ' αἰακτὸν ἂν γένοιτο.

Item *dimetri*:

οἷον τὸν υἱὸν τρέφεις (⏓ ⏑́ ⏑ ⏓ ⏑́ ⏑ –).

Et cum catalexi:

πάλαι ποτ' ἐζήτει (⏓ ⏑́ ⏑ ⏓ ⏓́ –).

Dipodiae ita decurtatae cum altera pars in anapaestum abit, fit *choriambus* sive ⏑́ ⏑⏑ –, e. g. in tetrametris:

καὶ ταῦτα μέντοι μετρίως πρὸς τὴν ἐμὴν ἀνάγκην (⏓ ⏑́ ⏑ ⏓ ⏑́ ⏑⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏓́ –)
λιγνὺν δοκῶ μοι καθορᾶν καὶ καπνόν, ὦ γυναῖκες (⏓ ⏑́ ⏑ ⏓ ⏑́ ⏑⏑ ⏓ ⏑́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓́ –)

In dimetrorum parte altera:

πέτου πέτου, Νικοδίκη (⏓ ⏑́ ⏑ ⏓ ⏑́ ⏑⏑ –).

Vel in priore:

ἵππι' ἄναξ Πόσειδον, ᾧ (⏑́ ⏑⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ ⏓)
χαλκοκρότων ἵππων κτύπος „
καὶ χρεμετισμὸς ἁνδάνει, „
καὶ κυανέμβολοι θοαὶ „
μισθοφόροι τριήρεις. (⏑́ ⏑⏑ – ⏑ ⏓́ –) [2])

Rarius choriambi per complura deinceps metra continuantur, e. g.:

νῦν δείξετον τὼ πισύνω
τοῖς περιδεξίοισιν
λόγοισι καὶ φροντίσι καὶ
γνωμοτύποις μερίμναις,
ὁπότερος αὐτοῖν λέγων

---

[1]) Nub. 708. Cf. etiam Vesp. 317 Thesm. 1018 sq., 1029, 1143 sq. Ran. 1360.

[2]) In tetrametrum iunctos binos huiusmodi dimetros praebet fragmentum 30: *οἶδα μὲν ἀρχαῖόν τι δρῶν κοὐχὶ λέληθ' ἐμαυτόν.* Item Eupolidis fragmentum longius 159.

ἀμείνων φανήσεται.
νῦν γὰρ ἅπας ἐνθάδε κίν-
δυνος ἀνεῖται σοφίας,
ἧς πέρι τοῖς ἐμοῖς φίλοις
ἐστὶν ἄγων μέγιστος [1]).

Usitatissimi denique iambi dimetri sunt illi, qui vocantur versus *glyconei*; catalectici autem versus, quibus horum systemata clauduntur, *pherecratei* nomen habent.

Versus glyconei dipodia posterior est: ⏑⏑ –́ ⏑ – [2]),
prior: ⏓ ⊥́ – [3]),
aut, suppressa syllaba initiali: –́ ⏑ – (–́ ⏑⏑ –, ⏑́⏑ ⏑ –) [4]).

Pherecrateus syllabam initialem tantum non semper habet suppressam.

Systematum igitur hoc est schema:

(glycon.) ⏓ ⊥́ – ⏑⏑ –́ ⏑ – (etc.)
–́ ⏑
–́ ⏑⏑
⏑́⏑ ⏑
(pherecr.) –́ ⏑ – ⏑⏑ ⊥́ –
⏑́⏑ ⏑

Apud Aeschylum glyconei rari sunt, apud Sophoclem non nisi in postremae aetatis dramate Philoctete frequentiores, apud Euripidem frequentissimi; etiam Aristophani in deliciis sunt, e. g.:

ἥδιστον φάος ἡμέρας
ἔσται τοῖσι παροῦσι καὶ

---

[1]) Nub. 949 sqq. = 1024 sqq.; cf. Ach. 1150 sqq. Eq. 559 sq. = 589 sq. Nub. 566 sq. = 598 sq. Vesp. 541 sq. = 645 sq. Lys. 325 sqq. = 339 sqq. Thesm. 357 fr. 109. Variae choriamborum dimetrorum figurae possunt sibi respondere; cf. Nub. 953 sq. = 1028 sq.

[2]) Rarissimus est glyconeorum pes tertius in proceleusmaticum (⏑⏑ ⏑́⏑) mutatus, invenitur tamen apud Euripidem Iph. A. 165 et apud Aristophanem Thesm. 1136.

[3]) *Anapaestica* exordia (⏑⏑ ⊥́ –) Aristophanes sprevit et ab Euripide admissa risit Ran. 1322. Cf. Eur. Iph. T. 1120, 1132 (Hel. 526); etiam Sophocles sic Philoct. 1089 (τί ποτ' αὖ, Bothe τίπτ' αὖ).

[4]) In responsione libere inter se permutantur variae prioris dipodiae figurae; quae etiam apud tragicos valet libertas.

πᾶσιν τοῖς ἀφικνουμένοις,
ἣν Κλέων ἀπόληται.

Glyconei (et pherecratei) *acephali* dici possunt huiuscemodi versus:

⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – (etc.)
⏑ – ⏑ ⏑ – –

e. g.: *σκέψασθε δέ μ' εἰ σοφῶς*
αὐτοὺς περιέρχομαι,
τοὺς οἰομένους φρονεῖν
καὶ ἔμ' ἐξαπατύλλειν [1]).

In quibus nulla est numerorum licentia [2]).

Altera versuum glyconeorum species non in tertia sed in *quarta* sede anapaestum habet, ad hoc igitur schema conformata:

⏑ – – ⏑ ⏑ ⏑ – –
⏑ ⏑
⏑ ⏑
⏑ ⏑

Cuiusmodi versiculis Aristophanes in fabulis superstitibus ita tantum est usus, ut *membrum prius versuum tetrametrorum* ex iis efficeret. Quorum tetrametrorum simile est membrum *alterum*, anapaestum tamen non habet, sed in pede initiali conformando eadem libertate qua prius est insigne. Cuiusmodi versus tetrametri dicti sunt *Eupolidei* [3]), Aristophanes autem Eupolidis aemulus acerrimus illud metrum adhibuit in Nubium editione retractata [4]) et postea in Anagyro [5]).

---

[1]) Cf. Eq. 1111—1150 Pac. 1329—1357.

[2]) Numeri sic videntur indicandi: $^{9}/_{8}$ ♩♩. ♪♪ | ♩♩ ♩♩. ♪♪ | ♩. ♩ ‖ . — Integri pherecratei glyconeis acephalis iuncti sunt Av. 1731—1742, glyconei autem integri pherecrateis acephalis Vesp. 317—322.

[3]) Eupol. fr. 78 et 120 hoc metro sunt concepta. Etiam Cratin. (74?) 98, 318 Pherecrat. 29, 47, 64, 122, 132, 191 Plat. 92, 169 Alex. 206, 237.

[4]) Nub. 518—562.

[5]) Fr. 54 sq

Versuum Eupolideorum apud Aristophanem hoc est schema:



Pausa post pedem quartum est legitima, e. g.:

ὦ θεώμενοι, κατερῶ πρὸς ὑμᾶς ἐλευθέρως.

Saepe tamen est neglecta, e. g.:

τἀληθῆ, νὴ τὸν Διόνυσον τὸν ἐκθρέψαντά με.

§ 5. De trochaeis tetrametris.

Trochaeis tetrametris primus ex iis quorum ad nos pervenit memoria usus est Archilochus; apud Epicharmum admodum frequentes fuerunt hi versus et in tragoedia aliquando plane regnarunt [1]), postea manserunt usitatissimi. Etiam Aristophanes saepe iis est usus, cum ubi acrius disputatur, tum ubi chorus pede citato orchestram intrat [2]), tum in chori parabasibus.

Post dipodiam secundam *pausa* esse solet, in multis tamen versibus neglecta est [3]). Qualibus locis pes quartus *caesura* certe diremtus esse solet, e. g.:

καὶ διώκειν γῆν πρὸ γῆς, ἕως ἂν εὑρεθῇ ποτε.

Sed nonnumquam omnis divisio abest, e. g.:

πρῶτα μὲν χαίρειν Ἀθηναίοισι καὶ τοῖς ξυμμάχοις.

Cunctae sedes admittunt tribrachyn [4]), sed raro ita solutus est pes septimus [5]).

Apud tragicos sedes sexta non admittit spondeum quo voca-

---

[1]) Aristot. Rhetor. III 1 § 9 Poet. 4 § 19.

[2]) *τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα* Arist. Rhetor. III 8 § 4.

[3]) Nihil eiusmodi reperitur in tragoedia, nisi Aesch. Pers. 165 (?) et Soph. Phil. 1402 (qui manifeste corruptus). Etiam in tetrametris inter duas personas distribuendis comicus pausam nonnumquam neglexit, e. g. Vesp. 416.

[4]) Sex tribrachyes habent versus (cantici) Lys. 1306 et 1311, septem Av. 315 (si tetrameter hic est).

[5]) (Nub. 575) Vesp. 461 Av. 276 et in nominibus propriis Nub. 581 Av. 281; corrupti sunt Eq. 319 Vesp. 342. — Quibus locis unum semper vocabulum efficiunt finales syllabae tetrametri: ⏑⏑⏑–. Item Eur. Ion. 1254 Phoen. 609.

bulum claudatur [1]), sed comici hanc legem — ut illam quae est de quinti pedis iamborum trimetrorum in tragoediis conformatione [2]) — non curarunt.

Schema hoc est:



Etiam trochaeos tetrametros Aristophanes, ut iambos, nonnunquam *intercidit*, non medios tamen, sed in pede quinto, et ita quidem ut sextum tunc solveret in tribrachyn:

οὐδέν ἐστι θηρίον γυναικὸς ἀμαχώτερον

– ◡ – ◡ – ◡ | – ◡ – ◡ – [3]).

Dactylos in hoc metrum semel et iterum admisit Euripides, ut nomini proprio fieret locus [4]); ceterum dactyli a trochaeis *κατὰ στίχον* usurpatis sunt alieni cum apud tragicos tum apud comicos [5]).

In lyrica vero poesi frequens est dactylorum cum trochaeis iunctura, quia a canentibus par temporis spatium utrisque tribui facile potest, a recitantibus non item. Cuiusmodi numeros Aristophanes saepe in canticis suis iocose est imitatus, cum metra *episyntheta*, in quibus membra dactylica iunguntur trochaicis, tum *mixta*, quorum singula membra et dactylos admittunt et trochaeos [6]).

§ 6. De trochaeis dimetris et monometris.

Ut iambis tetrametris, sic et trochaeis saepe subiunguntur dimetri et monometri, saepe etiam soli per se usurpantur, sic fere:

---

[1]) Unicum qui discrepabat versum Eur. Hel. 1628 correxit Porson.

[2]) Cf. pag. 208, 1.

[3]) Lys. 1014—1035. Cf. § 7.

[4]) Cf. Eur. Or. 1535 Iph. Aul. 882. Item Hermipp. fr. 44.

[5]) Corrupti igitur sunt, certe suspectissimi: Eur. Phoen. 612 Ar. Ach. 318 (Eq. 319) Vesp. 496 Av. (396), 788, 1113 (Thesm. 438, 465) Eccl. 1156.

[6]) Eq. 1264—1273 = 1290—1299 Nub. 457—475 Pac. 775—818 Av. 451—459 = 539—547, 904—945, 1313—1334 Ran. 674—685 = 706—717 Eccl. 571 sqq. Cf. etiam Pac. 943—947 = 1027—1031 Av. 231 sqq., 737—752 = 769—784, 1337—1339, 1393 sq., 1396 sq. Thesm. 315 sqq. Ran. 884, 1261 sqq., 1309 sqq., 1331 sqq. Eccl. 938 sqq., 951 sqq.

⏑́ ⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ – ⏓ (etc.)

⏑́ ⏑ – ⏑̄

⏑́ ⏑ – ⏓ ⏑́ ⏑ ⊔

Sed etiam aliter systematum membra catalectica et acatalecta inter se iungi possunt, e. g.:

χάριεν οὖν μὴ Σωκράτει
παρακαθήμενον λαλεῖν
ἀποβαλόντα μουσικὴν
τά τε μέγιστα παραλιπόντα
τῆς τραγῳδικῆς τέχνης [1]).

Etiam *interciduntur* interdum trochaei dimetri:

μὴ φθόνει ταῖς νέαισι [2]).

§ 7. De trochaeis decurtatis et solutis.

Dipodiae trochaicae cum supprimitur *prior* brevis, fit ⊔́ – ⏑, e. g.

Ἄρτεμις καλὰ τὰς κυνίσκας ἔχουσ' ἐλθέτω (⏑́ ⏑ – ⏑ ⊔́ – ⏑ ⊔́ – ⏑ ⊔́ – ⏑ ⊔́).

Cum simul solvitur longa altera, quod plerumque fit, haec est dipodiae figura: ⏑́ ⏑⏑⏑, qua in mediis tetrametris Aristophanem nonnunquam usum esse modo vidimus [3]).

Saepissime autem huiusmodi dipodias coniunxit cum dipodiis *posteriorem* brevem suppressam habentibus (⏑́ ⏑ ⊔).

Quales numeri saepe per metra complura continuantur [4]), e. g.:

εἶδες ὦ, πᾶσα πόλι, τὸν φρόνιμον ἄνδρα τὸν ὑπέρσοφον,

⏑́ ⏑ ⊔ ⊔́ ⏑⏑⏑ ⊔́ ⏑⏑⏑ ⊔́ ⏑⏑⏑ ⏑́ ⏑ ⊔

ita autem ut singulos ordines sive longiores sive breviores claudat dipodia brevem posteriorem suppressam habens (⏑́ ⏑ ⊔) [5]).

Multo rarius dipodiae decurtatae solvitur pars prior (⏑́ ⏑ ⏑ ⊔), e. g.:

---

[1]) Nonnunquam duo systemata trochaica inter se sunt ligata elisione (Vesp. 278, 281) vel structura verborum (Pac. 1171 Ran. 537).

[2]) Eccl. 900 = 906.

[3]) Cf. § 5.

[4]) Respondent sibi ⏑́ ⏑ ⊔ et ⊔́ ⏑⏑⏑ e. g. Ach. 290 sq. et 339 sq.

[5]) Cf. e. g. Ach. 971 sqq.

εὐδρόσους γῆς τόπους ἔχετε λειμῶνά τ' ἐρόεντα κτέ.

⏑́⏑⏑ ⏑́⏑⏑ ⏑́⏑⏑⏑ ⏑́⏑⏑⏑ ⏑́⏑ *κτέ.* [1]).

Numeros ⏑́⏑⏑⏑ et ⏑́⏑⏑⏑ *creticos* vocamus nomine ab ipso comico indicato [2]). Saepe cretici in trochaeos integros abeunt aut ex iis procrescunt [3]).

§ 8. De anapaestis.

Anapaesti dimetri in comoedia, ut in tragoedia, sunt frequentes. Acatalecti aliquot in systema solent coniungi [4]), admixtis saepe uno pluribusve monometris, claudi autem eiusmodi systema solet dimetro catalectico sive *paroemiaco*, sic fere:

⏑⏑⏑́ ⏑⏑⏑ ⁞⁞ ⏑⏑⏑́ ⏑⏑⏑ (etc.)
⏑⏑⏑́ ⏑⏑⏑
⏑⏑⏑́ ⏑⏑⏑ ⏑⏑⏑́⏑

Proprii autem comoediae, ut tetrametri iambi, sunt anapaesti tetrametri sive singulorum dimetrorum acatalectorum cum catalecticis iunctura. Quod metrum a tragoedia alienum esse ipsum eius cognomen indicat, nam a grammaticis vocari solet *Aristophaneum*. Non quo reppererit id Aristophanes, ante quem Epicharmum [5]) et Cratinum eo usos refert Hephaestio; sed aliis et frequentius adhibuit et felicius. Tetrametris dimetri aliquot subiungi solent.

Pausa post dipodiam secundam hi tetrametri necessario dirimuntur [6]), quoniam revera sunt bimembres.

Etiam post dipodiam initialem esse solet pausa, pro qua

---

[1]) Av. 246. Cuiusmodi numerorum insigne exemplum praebet Aeschyli in Eumenidibus canticum (vs. 329—331 = 341—343, 355—357 = 369—371).

[2]) Cf. Ran. 1355 sqq.

[3]) Cf. praesertim epirrhema et antepirrhema, quibus legitimum est metrum trochaicum, in creticos numeros maximam partem mutata Vesp. 1275 sqq.

[4]) Ingens systema efficit iusti oratoris cum iniusto altercatio Nub. 889—948.

[5]) Cf. Epicharmi fragmentum apud Athen. 183 *c*.

[6]) Vitiosi sunt, ubi neglecta est pausa in textu tradito, Ach. 645 Nub. 987 Vesp. 568 Av. 600 Pherecrat. fr. 23[5]. Duo dimetri confluxere Vesp. 752 sq. (corr. Hermann).

tamen non raro in tetrametris, nonnunquam in dimetris [1]), est caesura post syllabam sequentem. Raro haec quoque abest, e. g.:

ἀπτῆνες ἐφημέριοι, μέλεοι βροτοί, ἀνέρες εἰκελόνειροι.
μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων [2]).

Anapaestis substitui possunt spondei [3]) et dactyli. Tetrametrorum primae sex sedes spondeum admittunt, dactylum prima secunda tertia quinta [4]).

Tetrametrorum igitur schema hoc est:



Sed quoniam tres syllabas deinceps ictu carere non licet [5]), post dactylum non est locus anapaesto (_ ◡ ◡ ◡), sed aut alteri dactylo aut spondeo [6]).

Proceleusmaticos pedes (◡ ◡ ◡ ◡) — ad singularem animi perturbationem significandam aptissimos — admittunt *cantica* [7]), e. g.:

προδεδόμεθ' ἀνόσιά τ' ἐπάθομεν,

non vero systemata dimetrica vel tetrametri [8]).

Tragici etiam in tertia sede dimetrorum catalecticorum nonnunquam collocarunt spondeum; comicus non item, nisi in parodia [9]).

---

[1]) Ach. 1143 Nub. 892, 947 Vesp. 752 (?), 1482, 1487 Pac. 98, 100, 987 Av. 331, 536.

[2]) *Dimetri*, in quibus vox neque ante pedem tertium neque in eo subsistat, apud Ar. nonnisi hi reperiuntur: Thesm. 49 Ran. 1090 (et spurii Pac. 1002 Av. 523).

[3]) Spondei per pedes complures continuati insignem addunt orationi gravitatem, e. g. in querelis: *καὶ τὰς πλευρὰς ὀαρδάπτουσιν | καὶ τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσιν* (Nub. 711 sq.) vel in invocationibus: *εὔφημος πᾶς ἔστω λαός* (Thesm. 39 Pac. 96). Cf. etiam Av. 1058 sqq. Ran. 372 sqq. vel Eur. Troad. 169 sqq. Ion. 154 sqq. Iph. T. 123 sqq.

[4]) In quarta sede tetrametrorum qui extat dactylus Nub. 326 Vesp. 350, 397 (cf. annot. 6) vitio debetur. Sed in dimetro quatuor deinceps dactyli positi sunt Av. 403.

[5]) Cf. pag. 206, 3.

[6]) Vitiose igitur traditus est tetrameter Vesp. 397, item dimetri Nub. 916 Pac. 169 Thesm. 822; cf. etiam Av. 404. Nec non Nub. 1166 sq. hanc ob causam suspicionem movent.

[7]) Av. 328—335 = 344—351 Lys. 481 sq. = 546 sq. Thesm. 667 = 707 fr. 506 (698?) Eur. Ion. 896 al. (cf. pag. 206, 3).

[8]) Corrupti igitur sunt dimetri Nub. 916 Av. 404, tetrametri Eq. 503 Vesp. 1015 Av. 688.

[9]) Thesm. 779 et 781.

Quem versuum exitum sedulo vitarunt poetae epici: ‖ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –, eum Aristophanes in anapaestos tetrametros admisit, raro tamen [1]).

Ut in metro dactylico, sic in anapaestis longi soni finales ante vocalem pro brevibus habentur: *εὔχομαι εἰ*, *Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζεις*, *Χαιρέου υἱός*, *Κλεισθένη εἶδον* [2]).

§ 9. De dactylis.

Uberrimam iocandi materiem quoniam comicis praebuit carminum gravium imitatio, etiam versus epicos saepe imitatus est Aristophanes, ad sortilegos potissimum irridendos, et tam feliciter est imitatus ut luculenter appareat poesin Homericam in succum ei revera et sanguinem vertisse [3]).

Pentametros qui dici solent, comicus in fabulis quae supersunt nullos fecit [4]), veras pentapodias dactylicas paucas quasdam, e. g.:

ὄμμα γὰρ αἰθέρος ἀκάματον σελαγεῖται [5]).

Nec non brevioribus membris dactylicis locum dedit in canticis, saepe cum trochaeis dactylos ibi iungens more poetarum lyricorum [6]).

§ 10. De dochmiis.

Metrum dochmiacum proprium est tragoediae, ubi in commis praesertim et in monodiis locum habet. In comoedia non adhibe-

---

[1]) Eq. 510, 779, 783 Nub. 351, 358 Vesp. 385, 595, 693 sq., 1027 Av. 515, 565, 637, 696, 699 Lys. 593 Thesm. 800 Ran. 366, 371, 1032, 1057 Eccl. 665, 687; item Cratin. fr. 140 Pherecrat. 130[10] Teleclid. 43 Hermipp. 45[3] Ariston. 2, 9 (bis) Metag. 3 Aristag. 1. Corrupti sunt Thesm. 800 Eccl. 687. Cf. etiam fr. 680.

[2]) Etiam in *ionico* metro apud comicum Vesp. 291, 297, ut hic illic apud tragicos.

[3]) Cf. Eq. 197—201, 1015—1095 Pac. 120—123, 1063—1114, 1270—1301 Av. 967—988 Lys. 770—776 Ran. 814—829, 876—878, 1528—1533 fr. 9, 29, 272.

[4]) Alieni hinc sunt Nub. 1158 sq.; sed *potuit* Aristophanes (ut Antiphanes fr. 149) disticha elegiaca fingere in dramatis deperditis, tragicos imitatus, quoniam Euripides eiusmodi versibus usus est Androm. 103—116. *Affertur* autem Archilochi distichon Pac. 1299.

[5]) Nub. 285 = 309. Cf. etiam Nub. 570 Ran. 816.

[6]) Cf. pag. 216, 6.

tur nisi ad numeros tragicorum imitandos. Hic illic igitur, ubi altius quam pro socco assurgit dictio, invenitur apud Aristophanem [1]).

Schema est ⏑́ – ⏑́ ⏑ – sive $^3/_8 + {}^6/_8$, quod variis modis potuit solvi [2]). Perfrequens est haec dochmiorum figura: ⏑́ ⏑⏑ ⏑́ ⏑ –, ceteris volubilior haec: ⏑́ ⏑⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ [3]).

§ 11. De metro ionico.

Etiam ionicum metrum a comoedia alienum, aptissimum vero canticis, etiam tragoediarum et dramatum satyricorum. Comici autem poetae ad numeros tragicos facete imitandos nonnunquam eo sunt usi. Sic Aristophanes in Vespis chorum senum grandaevorum saltare fecit ad modos e Phrynichi Phoenissis desumtos [4]), et proximo anno Eupolis ionicum chori Aeschylei canticum

πεπέρακεν μὲν ὁ περσέπτολις ἤδη βασίλειος
στρατὸς εἰς ἀντίπορον γείτονα γαῖαν [5])

sic transtulit in Maricantem fabulam, qua Hyperbolum demagogum bellicosum risit:

πεπέρακεν μὲν ὁ περσέπτολις ἤδη Μαρικᾶς [6]).

---

[1]) Ach. 358—363 = 385 — 390, 489—491, 494—496, 566—571 Nub. 1163 sq., 1169 Vesp. 730—744, 873, 890, 1245—1247 Av. 230, 234, 239 (310 et 315?) 427—430, 1188—1195 = 1262—1268 Thesm. 675 sq., 680 sq., 685 sq., 700 sq., 715 sq., 720 sq., 724 sq., 914 sq., 1015 sq., 1037, 1039 sq. Ran. 1353—1355 Plut. 637, 639 sq.

[2]) Dochmiorum ictus puncto superscripto sunt indicati in fragmentis exiguis cantici Euripidei, quae praebet papyrus vetusta; e. g. (Or. 340 sq.): [*μόνιμο*]*ς ἐν βροτοις ἄνα* [*δε λαίφος ως τίς*] *ακατοὺ θο*[*ας*] *τίνα*[*ξὰς δαιμων*]. Cf. similia in brevibus syllabis collocata ictuum signa in Sicili cuiusdam epitaphio (Ian Mus. Script. p. 453): *ὀλως ολιγὸν εστι.*

[3]) E. g. Thesm. 914 sq.

[4]) Vesp. 273 sqq.; praeterea numeris ionicis Aristophanes usus est in epopis aves convocantis cantico multiformi Av. 238, in cantico quod Agathoni tribuit Thesm. 101 sqq., in mystarum cantico Ran. 323 sqq., in cantilena amatoria Eccl. 893 sqq.

[5]) Aesch. Pers. 65.

[6]) Sic certe traditum; sed *Μαρικᾶντος στρατὸς — γαῖαν* scripsisse Eupolidem suspicor.

Metri ionici schema est ⏑⏑–⏑, sed per *anaclasin* quae dicitur — quasi metri confractio haec sit quaedam — pro syllabis ⏑– in duorum pedum confinio positis saepe sunt ⏑–, neque raro una longa syllaba explet tempus duarum.

Itaque pedis ionici (3/4) hae sunt figurae:



et cum anaclasi:



Etiam plus semel deinceps comicus anaclasi est usus; qui praeterea in carmen, quod Agathonem, novae artis musicae studiosum, pangentem fecit, haec admisit rariora et liberiora pedis ionici schemata: ⏑⏑–⏑⏑, ⏑⏑⏑–, ⏑⏑–⏑, ⏑⏑–⏑⏑, –⏑⏑, –⏑–.

§ 12. De verbis metro non ligatis.

Nonnunquam, cum fert res, exclamatio aliqua extra numeros — praesertim iamborum trimetrorum — excedit [1]). Cuiusmodi clamores sunt: *ἰοὺ ἰού, ἰώ μοί μοι, ἰὼ Ζεῦ, οἴμοι, φεῦ, αἰαῖ, ἔα, ἆ ἆ, αἰβοῖ, εἶεν, ὦ ὦ, ὠόπ, κοῖ κοῖ, τί φής, ἀτταταῖ* [2]).

Etiam longiores quidam clamores hic sunt commemorandi:

πεπρᾶσθαι! πεπρᾶσθαι! (Ach. 735).

ὦ Σώκρατες! (Nub. 222).

ὦ εἶα! εἶα μάλα! ἔτι μάλα! εἰά νυν! εἶα ὦ! εἶα νὴ Δία! (Pac. 459—519).

ἀληθῆ! ἀληθῆ! (Lys. 711).

μαμμία! (ter) (Lys. 879).

Ἀρταμουξία! (Thesm. 1222).

Ἴακχ', ὦ Ἴακχε (Ran. 316 sq.).

---

[1]) Contra e meris clamoribus compositi sunt trimetri Eq. 10 Av. 1170 Plut. 895.

[2]) Alioquin imperfecti non relinquuntur trimetri; integros igitur quin scripserit comicus Ach. 407 Nub. 1233 non videtur dubium.

Praeterea prosa oratione conceptae sunt formulae nonnullae, praesertim praeconum, quas ex ipsa vita comicus desumsit:

πάριτ' εἰς τὸ πρόσθεν (Ach. 43; quae verba ut essent iambica effecit casus).

οἱ πρέσβεις οἱ παρὰ βασιλέως (Ach. 61).

σίγα, κάθιζε (Ach. 123).

εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε (Ach. 237 et 241).

καλοῦμαι Πεισέταιρον ὕβρεως εἰς τὸν Μουνιχιῶνα μῆνα (Av. 1046).

χωρεῖτε (Ran. 440).

Item preces publicae (Av. 864 sqq. Thesm. 295 sqq.) et verba e legibus allata (Av. 1035 sqq., 1661 sqq.; cf. Archipp. fr. 27).

Denique dubitatur an huc sint referenda verba Eq. 941 sq.: *εὖ γε νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Δήμητρα.*

APPENDIX

Metrorum ab Aristophane in fabulis superstitibus adhibitorum conspectus

(praetermissis iambis trimetris).

ACHARNENSES.

204—207 = 219—222 et 234—240 trochaei tetrametri.
208—218 = 223—233 cretici.
263—270 et 275—276 iambi dimetri et monometer.
280—283 trochaei dimetri in creticos abeuntes.
284, 286, 294, 297 = 335, 337, 341, 343 et medii interpositi 303—334 trochaei tetrametri.
285 = 336 pentapodia anapaestica.
287—293, 295 sq., 298—302 = 338—340, 342, 344—346 cretici.
358—363 = 385—390 dochmii.
489—496 et (= ?) 566—571 dochmii intersertis iambis.
626—664 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris.
665—675 = 692—702 cretici.
676—691 = 703—718 trochaei tetrametri.
836—841 = 842—847 = 848—853 = 854—859 iambi tetrametri duo cum dimetris tribus et pherecrateo acephalo.
929—939 = 940—951 iambi dimetri et monometri.
971—987 = 988—999 cretici subiuncto trochaeo tetrametro.
1008—1017 = 1037—1046 iambi dimetri.
1143—1149 anapaesti dimetri et monometer.
1150—1161 = 1162—1173 choriambi dimetri et monometri subiunctis iambis dimetris duobus unoque trimetro, dein his versibus intercisis:

[illegible]

1191—1234 versus iambici; omissis trimetris nihil insoliti habentibus commemorandi restant dimetri 1191—1193, 1207 sq., 1212, 1223, 1225, 1232—1234, trimetri post primam dipodiam intercisi 1205 sq. et cum catalexi 1195, 1197, 1201 sq., 1210, tetrametri 1226—1231, monometri cretici 1215 et 1217, denique 1219 et 1221 sic sunt conformati: ⏑–⏑–⏑– (dochmii? an ⏑⏑–⏑–⏑?).

EQUITES.

197—201 versus heroici.

242—302 trochaei tetrametri subiunctis dimetris.

303—311 = 382—388 cretici.

312—321 = 389—396 et 326 sq. = 400 sq. trochaei tetrametri.

322—325 = 397—399 cretici.

328—332 = 402—406 duo dimetri dactylici subiunctis trochaeis tetrametro duobusque dimetris:



333—381 = 407—456 iambi tetrametri subiunctis dimetris et monometro.

457—460 iambi tetrametri.

498—550 anapaesti tetrametri praemissis et subiunctis dimetris.

551—564 = 581—594 choriambi dimetri intermixtis trimetris duobus (559 sq. = 589 sq.), qui sic sunt conformati:



565—580 = 595—610 trochaei tetrametri.

616—623 = 683—690 trochaei, quorum dipodiae complures in creticos abierunt.

756—760 = 836—840 iambi tetrametri. Secundus et tertius medii sunt intercisi.

761—835 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris.

841—940 iambi tetrametri subiunctis dimetris et monometro.

941 sq. nisi prosa oratione sunt concepti, sic videntur describendi:



973—996 sex systemata quaternorum membrorum glyconeorum.

1015—1020, 1030—1034, 1037—1040, 1051—1060, 1067—1069, 1080—1095 versus heroici.

1111—1150 octo systemata glyconeorum acephalorum; primum tertium quintum septimum sunt quatuor membrorum, cetera membrorum sex.

1264—1273 = 1290—1299 dactylo-trochaei modos Pindaricos iocose imitati:





1274–1289 = 1300—1315 trochaei tetrametri.
1316—1334 anapaesti tetrametri.

NUBES.

263—274 et 291—297 anapaesti tetrametri.
275—290 = 298—313 cantica dactylica; exitus hic est:



314—456 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometris.
457—475 trochaei subiunctis numeris dactylo-trochaicis:



476 sq. anapaesti tetrametri.
510 sq. anapaesti dimeter et monometer.
512—517 choriambi dimetri.
518—562 versus eupolidei.
563—574 = 595—606 choriambi dimetri intermixtis trimetro (sive dimetro cum monometro, 566 = 598) et ordine novem dactylorum (569 sq. = 601 sq.).
575—594 = 607—626 trochaei tetrametri.
700—706 = 804—813 (sed in stropha desunt quae versibus 811—813 respondeant) iambi et choriambi:



708 iambus dimeter.
711—722 et 889—948 anapaesti dimetri et monometri.

949—958 = 1024—1033 choriambi dimetri. Antistrophae una dipodia deest.
959—1023 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometris.
1034—1104 iambi tetrametri subiunctis trimetris quatuor (quod insolitum), dein dimetris et monometris.
1113 iambus tetrameter medius intercisus.
1115—1130 trochaei tetrametri.
1154 sq. iambi trimetri post primam dipodiam intercisi.
1158—1160 tripodiae dactylicae; tertia in meros spondeos est contracta.
1163 sq. et 1169 dochmii.
1165—1167 anapaesti monometri.
1168 iambus dimeter.
1206—1213 iambi dimetri monometer tetrameter, intercisi plerique.
1303—1311 = 1312—1320 iambi dimetri monometer trimeter; complurium dipodiarum suppressa est syllaba initialis.
1345—1350 = 1391—1396 ter repetiti numeri iambici:



1351—1390 et 1397—1451 iambi tetrametri subiunctis dimetris.
1510 anapaestus tetrameter.

VESPAE.

230—272 iambi tetrametri, quorum posteriores (248—272) medii sunt intercisi.
273—280 = 281—289 numeri ionici:



Post antistropham versus finalis iteratur.
291—303 = 304—316 item numeri ionici. Exitus sic videtur describendus:



Sed singultientis soni ⁑ ⁑ quomodo numeris fuerint inserti non liquet.
317—322 glyconei. Praemissae sunt syllabae ⏑ — ⏑ ⏑ —, dein est glyconeus, tum pherecratei acephali tres, tandem integri glyconei tres et pherecrateus.
323—333 anapaesti dimetri et monometri.
334 sq. = 365 sq. trochaei dimetri.
336—339 = 367—370 trochaei tetrametri subiuncto dimetro cretico.
340—345 = 371—378 trochaei tetrametri subiunctis dimetris et monometro.
346—364 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris.
379—402 anapaesti tetrametri.

403—525 trochaei tetrametri intersertis dimetris (405 sq., 410—412, 463 sq.) et creticis (413 sq., 418 sq., 428 sq., 468—470, 486 sq.). Dubii sunt numeri versuum 407 et 465.

526—528, 531—536, 540—545 = 631—633, 636—641, 644—647 choriambi dimetri.

529 sq. et 537 sq. = 634 sq. et 642 sq. iambi tetrametri.

546—630 et 648—724 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometris.

725—728 anapaesti tetrametri.

729—736 = 742—749 iambi admixtis dochmiis. Inter duos trimetros sunt duo dochmii, dein trimeter post primam dipodiam intercisus, tum duo dochmii praemissa syllaba, dein dimetri duo, tandem dochmius.

741 anapaestus tetrameter.

750—759 et 863—867 anapaesti dimetri et monometri.

870—873 = 887—890 iambi dimetri subiuncto dochmio.

874 Apollinis invocatio sollemnis ⏑ –́ ⏑ ⏑ – –.

875—884 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometris.

1009 sq. anapaesti dimetri.

1011—1014 trochaei monometri et dimetri.

1015—1059 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometris.

1060—1090 = 1091—1121 trochaei tetrametri et dimetri. In creticos numeros abierunt 1061 = 1092, versuum 1064 = 1095 numeri videntur esse:

–́ ⏑ – ⏓ ⊔́ ⏑⏑ ⏑ –́ ⏑ ⊔

–́ ⏑ – ⏓ – ⏑ ⊔

1226 sq. hendecasyllabi: – ⊔́ – ⏑⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ – –.

1234 sq. pentapodiae dactylicae.

1238 sq. asclepiadeus maior: ⊔́ ⊔ –́ ⏑⏑ ⊔ –́ ⏑⏑ ⊔ –́ ⏑⏑ – ⏑ –́.

1241 sq. numeri dactylo-trochaici:

– –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⊔́ –

– –́ ⏑ ⏑ – ⏑ –́ ⊔ –́ ⏑ ⊔

1245—1247 dochmii.

1248 hendecasyllabus: –́ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⊔́ – – (cf. vs. 1226 sq.).

1265—1274 trochaei dimetri et monometer. Desunt versus antistrophi.

1275—1283 = 1284—1291 tetrametri cretici subiuncto tetrametro trochaeo.

1326—1331 trochaei dimetri et monometer.

1335—1338 iambi dimetri.

1339—1341 trochaei dimetri.

1450—1461 = 1462—1473 choriambi dimetri, quorum ultimi sic sunt conformati:

⏓ –́ – – –́ ⏑⏑ –

⏑⏑ –́ – ⏑ –́ ⏑ –

1482—1495 anapaesti dimetri et monometer.

1516 sq. anapaesti tetrametri.

1518—1537 versus hexametri dactylo-trochaici:

[illegible]

Interserti sunt dimidiati versus 1520 = 1525 et intercisi 1521 = 1526.

PAX.

82—101 anapaesti dimetri.
114—123 dactyli tetrametri dimeter hexametri.
154—172 anapaesti dimetri.
301—345 trochaei tetrametri subiunctis dimetris et monometro.
346—360 = 582—600 trochaei tetrametri et dimetri, quorum complures dipodiae in creticos abierunt. Ex antistropha unus tetrameter excidit. Etiam versuum
383—399 similes sunt numeri, nisi quod 390 est dactylo-trochaicus (⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ – –) et 399 trimeter creticus.
426—430 trochaei tetrametri.
459—472 = 486—499 anapaesti dimetri intermixtis trahentium clamoribus.
508—511 iambi tetrametri.
513—517 iambi dimetri praemissis trahentium clamoribus et submissis.
553—581 et 601—656 trochaei tetrametri subiunctis dimetris et monometro.
729—732 anapaesti tetrametri.
733 trochaeus tetrameter.
734—774 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris.
775—796 = 797—818 versus dactylo-trochaici Stesichori modos imitati.
856—858 et 860—862 = 909—911 et 913—915 glyconei acephali.
859 et 863 sq. = 912 et 916 sq. iambi tetrametri.
865—867 = 918—921 iambi dimetri et monometer.
939 = 1023 iambus tetrameter intercisus.
940 sq. = 1024 sq. anapaesti dimetri.
942 = 1026 iambus tetrameter.
943—947 = 1027—1031 dactylo-trochaei:

⏑ | ⏑ – – ⏑ –
– ⏑ – – ⏑ – – ⏑ –
⏑ – – – ⏑ –
– ⏑ – – ⏑ – – – – –

948 sq. = 1032 sq. iambi tetrametri.
950—955 = 1033—1038 iambi dimetri; intercisus est secundus, subiunctus est versiculus:

– ⏑ – – –

974—1015 anapaesti dimetri et monometri.
1063—1114 versus heroici.
1127—1139 = 1159—1171 dimetri cretici subiunctis dimetris trochaeis.
1140—1158 = 1172—1190 trochaei tetrametri subiunctis dimetris.
1270—1283, 1286 sq., 1292 sq., 1298, 1300 sq. versus heroici.
1299 pentameter.
1305—1315 iambi tetrametri et dimetri.
1316—1328 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometro.
1329—1357 glyconei et pherecratei acephali.

AVES.

209—222 anapaesti dimetri et monometri.

227—259 canticum multiforme. Post (metricos?) quosdam clamores et iambum trimetrum sequuntur hi numeri:

230	⏑́ – –́ ⏑ ⊔ ⏑́ – –́ ⏑ –	(dochmii)
	⏑ | –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⊔́	(dactylo-trochaei)
	– ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ ⊔	„
	⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑	„
	–́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑	„
	⏑́ ⏑⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑	(dochmius)
235	–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑	(trochaei)
	–́ ⏑⏑ ⊔ ⊔́ ⊔	
	–́ ⏑ (octies)	(vocis avis cuiusdam imitatio)
	⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –	(ionici)
	⏑́ ⏑⏑ ⏑́⏑ ⏑ –	(dochmius)
240	breves syllabae 20 [1])	
	⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ [⏑] ⊔ ⊔́ ⊔	(trochaei) [2])
	imitatio vocis cuiusdam avis	
	–́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑ –	(cretici)
245	–́ ⏑ ⊔ ⊔́ ⏑⏑ ⏑ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ ⊔	„
	⏑́⏑ ⏑ ⊔ ⊔́ ⏑⏑ ⏑ ⊔́ ⏑⏑ ⏑ –́ ⏑ ⊔	„
	–́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ ⊔ –́ ⏑ ⊔	„
250	–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – –	(dactyli)
	–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – –	„
	–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	„
	–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	„
	–́ – ⊔ –́ ⏑ ⏑ – –	„
255	–́ – – – –́ – – –	„
	–́ – – –	„
	–́ – – – –́ – – –	„
	–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑	(trochaei)
	–́ ⏑ (quinquies)	

268—326 trochaei tetrametri; monometer est 319, soluti versus 310 et 315 fortasse sunt dochmii trimetri.

327—335 = 343—351 anapaesti (in proceleusmaticos soluti sunt complures) praemisso clamore ⏑ –́ ⏑ – et subiunctis creticis (sed strophae haec pars non integra).

336—342 trochaei tetrametri.

352—399 trochaei tetrametri subiunctis dimetris.

---

[1]) Videtur bis delendum *τε*, ut sit trochaeus trimeter.

[2]) Legendum videtur *πετόμεν' ἀνύσατε πρὸς ἐμὰν αὐδάν.*

400—405 anapaesti dimetri et monometri.

406—433 iambi dimetri; intermixti sunt monometri et trimeter, decurtati sunt 410—415, in dochmios abierunt 427—430.

451—459 = 539—547 dactylo-trochaei lyrica gravitate insignes:



460—538 et 548—626 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris et monometro.

627 sq. et 636 sq. anapaesti tetrametri.

629 sq. iambi trimetri sic intercisi:



635 iambus trimeter sic intercisus:



658—660 anapaesti tetrametri.

678—684 glyconei (acephalus 677) et pherecratei; praemissus est dimeter creticus, intersertus dimeter trochaeus 680 (⏑–⏑–).

685—736 anapaesti tetrametri subiunctis dimetris.

737—752 = 769—784 numeri dactylo-trochaici lyrica gravitate insignes. Initium est ⏑⏑–– [1]). Interstrepunt soni voces avium imitati, qui certis numeris ligati fuisse non videntur.

753—768 = 785—800 trochaei tetrametri.

851—858 = 895—902 iambi:



904—945 numeri dactylo-trochaici e Pindaro partim certe desumti, interiectis iambis aliquot trimetris:

904—906



[1]) Vs. 769 legendum τοιάδε κύκνοι cum codd. (etiam V).

909 sq.



913 sq.

924—930



936—939



941—945



967 sq., 971—973, 975, 977—979, 983—985, 987 sq. versus heroici.

1058—1071 = 1088—1101 anapaesti (in meros spondeos contracti) quibus subiuncti sunt cretici.

1072—1087 = 1102—1117 trochaei tetrametri.

1188—1195 = 1262—1268 dochmii.

1313—1323 = 1325—1334 numeri dactylo-trochaici (cum anacrusi) iocosae gravitatis.

1324 iambus tetrameter.

1337—1339 numeri dactylo-trochaici (cum anacrusi) e Sophocle desumti.

1373 versus ionicus ex Anacreonte desumtus:



1374 et 1376 anapaesti:



et:

1380 sq. iambi dimetri; alter post primum pedem intercisus est.

1393 sq. dactylo-trochaei (cum anacrusi).

1396 sq. item:



1398—1400 anapaesti dimetri.
1410 sq. numeri choriambici in iambos excurrentes:



(asclepiadeus maior)

1415 = 1411.
1470—1481 = 1482—1493 et 1553—1564 = 1694—1705 trochaei dimetri.
1720—1725 trochaei subiunctis choriambis:



1726—1730 anapaesti dimetri et monometer.
1731—1736 = 1737—1742 glyconei acephali subiunctis pherecrateis integris.
1743—1747 anapaesti dimetri.
1748—1754 dactyli subiuncto pherecrateo.
1755—1762 iambi tetrametri intercisi.
1763—1765 trochaei dimetri.

LYSISTRATA.

254 sq. iambi tetrametri.
256 sq. = 271 sq. iambi tetrametri intercisi.
260—265 = 275—280 iambi dimetri; versuum 265 et 280 suppressa est syllaba initialis.
266—270 = 281—285 iambi tetrametri.
286—290 = 296—300 iambi tetrametri intercisi, interserto trimetro.
291—294 = 301—304 trochaei tetrametri et dimetri.
295 = 305 trochaei, qui sic videntur describendi:



impugnandam opinionem vulgatam, qua prisca ecloga septem fabulas complexa creditur in codice V superesse integra: „damit erledigt sich die ansicht dass „die auswahl von 7 stücken im Venetus erhalten wäre; sie ist auch an sich ver„kehrt, denn diese gelehrteste handschrift repräsentiert keine verkürzung der „auswahl". Equidem nondum reicio illam opinionem, sed potius statuerim ex Symmachi opere plures — fortasse cunctas — fabulas complexo in codicem Venetum ea sola esse recepta quae pertinerent ad septem fabulas in eclogam olim coniunctas. Sic non est quod miremur hunc codicem et paucas tantum habere fabulas in usum tironum selectas, et tamen abundare observationibus non in usum discipulorum sed hominum eruditorum scriptis et ex opere maioris ambitus desumtis.

[1]) Nunc est $27^1/_2 \times 20^1/_2$ centim.

[2]) Nusquam tamen hoc agentibus lectu adeo est difficilis, ut dubitari possit quid in eo sit scriptum. Integer enim prorsus ad nos pervenit, a prima pagina usque ad ultimam nihilo turpior nunc vel obscurior quam tum fuit cum exaratus est.

[3]) Imago phototypa in lucem est emissa anno 1902: *Facsimile of the codex Venetus Marcianus 474, with a preface by J. W. White and an introduction by Th. W. Allen, London and Boston.*

[4]) Cf. A. v. Bamberg de Ravennate et Veneto 1865.

Quapropter ne id quidem iuvat inquirere, in singulis fabulis saepiusne et gravius errarit is qui Ravennatem perscripsit an is qui Venetum; nihil enim auctoritatis sic alterius codicis lectionibus addi alterius detrahi potest. In universum autem dici potest hoc unum: frequentiora esse vitia Veneti, sed et frequentiores esse locos ubi hic, quam ubi Ravennas verum praebeat solus, Veneti igitur textum aliquanto pluris esse faciendum.

In recensendis fabulis, quas et R praebet et V, ceteri codices impune fere possunt neglegi. Nam longe plurimis locis alter ex altero potest emendari, ita ut appareat satis integrum textum habuisse amborum archetypum.

Aptum ad rem illustrandam exemplum praebent Equitum versus 668 et sequens; qui in codice R sic sunt scripti:

ἵν' ἀτ' ὁ κήρυξοὐκλακεδαίμονοσλέγηι
πυθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περι σπονδῶνλέγων·

in V autem:

ἵν' ἆθ' ὁ κῆρυξ ὁὐκ λακεδαίμοὐ λέγει πὰ$^{\ddot{\lambda}}$
πύθησθ'· ἀφῖκται γ' π$^{\varepsilon}$ σπονδῶν λέγων·

Expunctum igitur est πάλ(ιν) adverbium, quo violatur metrum; habent id codices recentiores [1]). Porson autem cum perspexisset quid sibi vellet illud πάλιν, comici verba sic in integrum restituit:

ἵν' ἄτθ' ὁ κήρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν πάλιν.

Ergo in archetypo (*z* dicamus) fuit:

ἵν' ἄτθ' ὁ κήρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει
λέγων
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν πάλιν.

Superscriptum illud λέγων ad vocem περὶ σπονδῶν mente suppleri iubebat interpres [2]); quod cum pro *lectione altera* esset habitum, archetypi filius (*y*) haec habuit:

---

[1]) A Γ Θ Palat. M.

[2]) In ipso sermone illud participium constanter omitti docuit Porson.

ἵν' ἄτθ' ὁ κήρυξ οὐκ Λακεδαίμονος λέγει
. . .|. πάλιν
πύθησθ'· ἀφῖκται γὰρ περὶ σπονδῶν λέγων.

In margine iam exulabat πάλιν, utpote lectio sequior. Quae in exemplari (*x*), unde R est excriptus, neglecta est; neque id mirandum, quoniam Equitum fabulae haec pars in illo exemplari — ut et in ipso R — nulla habuit scholia aut interpretamenta. Alius vero codicis *y* filius (*v*) adverbium πάλιν proximo versui adiunxit, et sic adauctum illum versum exhibet iam codicis *v* hodie deperditi proles V A *Γ Θ* Palat. M [1]).

Itaque huiuscemodi delineari potest stemma:



A *Γ Θ* Palat. M [2]).

Communia vero quae vitia habent V et R, ea longe maximam partem sunt eiusmodi ut ducibus metro et arte grammatica a quovis possint corrigi; parum igitur prodest codices sequiores perscrutari, an forte etiam sine coniecturalis artis ope τἄρ' pro γάρ possit scribi ex chartulae alicuius auctoritate, vel κᾆτα pro κατά. Ad talia in integrum restituenda nullos codices requirebant Bentlei vel Porsoni. Alia, quae graviora sunt, ante aetatem, qua communis nostrorum codicum atavus natus est, in textum irrepserunt, itaque aut toleranda sunt aut invitis codicibus quotquot innotuere corrigenda sunt omnibus; exemplo sint haec: ὑποδύου τὰς καταράτους ἐμβάδας . . . ὑπόδυθι . . . ὑποδύσασθαι . . . ὑποδυσάμενος pro: ὑπολύου . . . ὑποδοῦ . . . ὑποδήσασθαι . . . ὑποδησάμενος [3]).

---

[1]) Idem vitium in V² R irrepsit Eq. 1351: μακράς V¹] λέγων V² R. Consimile V R habent Pac. 920 (corr. Dindorf).

[2]) Mitto quaerere quomodo inter se cohaereant codices A *Γ Θ* Palat. M alii; codicum Acharnenses fabulam exhibentium stemma improbo labore acute nuper struxit E. Cary Harvard Studies 1907 p. 157 sqq.

[3]) Vesp. 1157 sqq.

Ἀλλ' ἔμπης καὶ τοῖσι κακοῖσ' ἐσθλόν τι μέμικται. Non cunctae quas codices recentiores praebent emendationes futiles sunt. Nam debentur iis versus procul dubio genuini Nub. 114 et 1099, qui in V et in R propter *τὸ ὁμοιοτέλευτον* sunt praetermissi [1]). Debetur iis versus Plut. 281 [2]), debentur lectiones quaedam egregiae, quales hae sunt:

Eq.	889	*βλαυτίοισι*] *βα(λ)λαντίοισι* V R.
Nub.	1012	*λαμπράν*] *λευκήν* V R.
Nub.	1298	*σαμφόρα*] *πασία* V R.
Vesp.	577	*ἄχεις*] *ἄχρις* V R.
Vesp.	668	*περιπεφθείς*] *περιπεμφθείς* V R.
Vesp.	1259	*ἦ μὴν*] *ἢν μὴ* V R.
Pac.	52	*ὑπερτάτοισιν*] *ὑπερτούτοισιν* V R.
Av.	318	*σοφιστὰ*] *λογιστὰ* V R.
Plut.	301	*ἡμμένον*] om. V R.
Plut.	681	*ἤγιζεν*] *ἤιτιζεν* R, *ὤκιζεν* V.

— ut alia multa, quae levioris sunt momenti, nunc mittamus.

Digni igitur sunt harum similiumque lectionum fontes qui accuratius hic indicentur.

Inter quos excellit — quamquam vitiorum et, quod gravius est crimen, *παραδιορθωμάτων* haudquaquam immunis — **Parisinus 2712 (A)**, saeculo XIII° in membrana scriptus [3]). Qui foliis 320 [4]) praeter vitam S. Sabae et sex fabulas Euripidis et Sophoclem complectitur Aristophanis *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, *Aves*, *Acharnenses*, *Ecclesiazusas* (usque ad vs. 282). In singulis lineis Aristophanis versus binos [5]) habet exaratos, in singulis paginis lineas 39—41 [6]).

---

[1]) Etiam Pacis versum 1077 sequioribus deberi quod scripsit Dindorf Poet. Scen.[5] p. VI[a], lapsus erat calami; nam et in V et in R is extat, in ceteris vero propter *τὸ ὁμοιοτέλευτον* intercidit, et in editionibus typographis inde ab Aldina desiderabatur, donec a Bekkero e V R revocatus est suumque in locum restitutus.

[2]) Sed et hunc genuinum esse non prorsus constat.

[3]) Denuo nuper consuluerunt vIJzeren et Schepers, Acharnenses etiam Cary.

[4]) Folia sunt 29 × 23 centim.

[5]) *Ternos* vero Euripidis et Sophoclis.

[6]) In Euripidis vero fabulis singulae paginae habent lineas 29—32, in Sophoclis —45.

Recentior et deterior et lacunosus admodum, non plane tamen contemnendus, est saeculi XIV^{i} codex **Laurentianus 31, 15 (Γ)** in charta bombycina scriptus. Qui praeter quatuor tragoedias Euripidis habet Aristophanis *Acharnenses*, *Ecclesiazusas* (—1135), *Equites* (desunt 493—547), *Aves*, *Lysistratam*, *Vespas*, *Pacem* (377—947, 1012—1126, 1191—1300). Habet — immo habuit! Nam tres olim evulsi sunt quaterniones, in quibus legebantur Av. 1120 sqq., Lysistrata, Vesp. 1—420. Foliorum horum 24 pars interiit, reliqua 15 Leidam aberrarunt [1]), in quibus extant Av. 1492 sqq. Lys. 1—61, 132—199, 268—819, 890—1034 [2]). Florentiae supersunt folia 166.

In singulis lineis binos versus hic codex habet perscriptos, et hac in re et ipso textu simillimus codici A.

Restant commemorandi saeculi XIV^{i} codices:

Laurentianus Florentinus 140 (A F 2779) sive **Θ** foliorum 185, qui *Plutum*, *Nubes*, *Equites*, *Ranas* continet.

Vaticanus Urbinas 141 (*U*), foliis 191 praeter quinque fabulas Sophoclis complexus Aristophanis *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Aves*. In singulis lineis bini, hic illic terni, scripti sunt versus; quae et exemplaris unde excriptus est fuit ratio [3]).

Mediolanensis Ambrosianus L 39 bombycinus **(*M*),** qui praeter Euripidis tres Sophoclisque duas fabulas cum scholiis in foliis 89—231 habet Aristophanis *Plutum*, *Nubes*, *Equites*, *Aves* (—1641).

Sequuntur saeculi XV^{i} codices:

Monacensis 137 (*N*). *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Ecclesiazusas* habet in foliis 1—105, dein Dionysii orbis descriptionem.

Havniensis 1980. Insunt *Plutus*, *Nubes*, *Ranae*, *Equites*,

---

[1]) Ubi vocantur *Vossianus Leidensis* 52. A multis editoribus *Voss.* vel *Leid.* est dictus.

[2]) Cf. Lysistr. Proleg. p. XII—XIV.

[3]) Cf. Piccolomini Studi italiani 1993 p. 443 sqq.

Acharnenses, *Vespae*, *Aves*, *Pax* (1—947, 1012—finem), *Lysistrata* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem).

Vaticani Palatini duo, littera ***P*** indicati ambo: **Pal. 67,** qui foliorum est 234, *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, *Acharnenses*, *Vespas*, *Aves*, *Pacem* (1—947, 1012—finem), *Lysistratam* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem) complexus, et **Pal. 128,** qui in foliis 91—185 habet *Equites*, *Acharnenses*, *Vespas* [1]).

Sequiores sunt **Parisini** saeculi XVI^{i} duo: **Par. 2715 (*B*),** in quo extant *Equites*, *Acharnenses*, *Aves*, *Vespae*, *Lysistrata* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem), *Ecclesiazusae* (—1135), *Pax* (1—947 et 1012—1300), et **Par. 2717 (*C*),** qui complectitur *Equites*, *Acharnenses*, *Vespas*, *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Aves*, *Pacem* (1—947 et 1012—finem), *Lysistratam* (1—61, 132– 199, 268—819, 890—1097, 1237—finem) [2]).

Interioris quidem notae sunt saeculi XV^{i} codices **Venetus Marcianus 475** et **Monacensis Augustanus 492,** sed plane inutiles, quoniam hic ex R, ille ex V est excriptus [3]).

In ruderibus urbis Hermupolidis (hodie Eschmunên) nuper reperta sunt fragmenta complura fabularum *Acharnensium*, *Equitum*, *Nubium*, *Avium*, *Lysistratae*, *Ranarum*, e papyris codicibusque V^{i} VI^{ve} saeculi evulsa. Quorum nonnulla (ex *Equitibus* et *Lysistrata*) edidere Grenfell et Hunt [4]), cetera Schubart

---

[1]) Saeculi XV^{i} codicem Vaticanum Barberinianum I 45, qui *Acharnenses*, *Ecclesiazusas* (—1135), *Equites* continet, in Acharnensibus quidem nullius esse usum, utpote e codice *l'* excriptum, nuper docuit E. Cary Harvard Studies 1907 p. 161 sqq.

[2]) Codicum *l'*PBC Havn. communem originem testantur lacunae fabulae Lysistratae (62—131, 200—267, 820—889) et Pacis (948—1011).

[3]) Codicem Laurentianum 31, 16 (*Δ*) foliorum 259, in quo exaratae sunt *Plutus*, *Nubes*, *Equites*, *Ranae*, *Acharnenses*, *Aves*, *Vespae*, *Lysistrata* (1—61, 132—199, 268—819, 890—1097, 1237—finem), pessimae notae et passim interpolatum esse dudum norant philologi, prorsus nullius esse pretii ostendit Cary l.l. p. 175 sqq.; nam ex exemplari, quod codici Θ simillimum esset, excriptas esse fabulas Plutum, Nubes, Equites, Ranas, ceteras e codice B; non XV° igitur saeculo, ut statui solebat, sed XVI° esse exaratum.

[4]) Mélanges Nicole, 1905, 211.

et vWilamowitz [1]). Lacunosa sunt admodum nec nisi perpauca bonae frugis praebent.

Eiusdem fere aetatis est fragmentum, *Avium* fabulae versus aliquot complexum, quod in Museo Parisino asservatur [2]). Singulae paginae, illius certe folii, cuius pars extat, versus 42 habebant exaratos.

Etiam codicis saeculi X^1 fragmentum inventum est (in Laurentiano 60, 9), sed rescriptum et vix etiam utile, versus Avium sexaginta (1393—1453) utcunque exhibens [3]).

Praeterea saeculorum XIII—XVI codices extant centum et amplius *Plutum* et *Nubes* continentes; quorum pauci etiam *Ranas*, *Equites*, *Aves*, paulo plures *Ranas* et *Equites*, multi *Ranas* complectuntur [4]). Ex qua farragine lectio, cui suum etiam, postquam accurate explorati sunt R et V, esset pretium, hactenus prodiit nulla, neque veri videtur simile posthac proditurum. Emendationes inde proferri possunt sane plurimae, sed tales potissimum quales omnes omnibus saeculis sponte invenerunt Aristophanis lectores.

Ex A vero et *Γ* haud parum lucri duxit textus *Acharnensium*. Nam leviora ut mittam, qualia sunt Ach. 85 *ὅλους*] *ὀπτοὺς* R, 279 *κρεμήσεται*] *κρεμασθήσεται* R, — talia enim codicis R menda arguuntur metro, — at desunt in R versus 875—877 paene toti, et versus 917, 1097, 1141, 1177 toti [5]).

Nonnihil in *Lysistrata* debetur codici *Γ*: 352 *ἰδεῖν*] om. R, 366 *κονδύλοις*] *δακτύλοις* R, 408 et 613 *ἐπεσκευάσας* et *-σμένα*] *ἐσκ.*

---

[1]) Berliner Klassikertexte V, 2, 1907, 99—112.

[2]) Edidit Weil Rev. de Philol. 1882 p. 179—185. Optimas lectiones hic codex praebet vs. 1078 et 1080.

[3]) Edidit Keil in Herme 1891 p. 128—136.

[4]) Horum ceterorumque codicum Aristophanis, qui hactenus sunt indagati — exemplaria etiam recentissima et quae scholia sola vel fabularum partes tantum praebent cum numerantur cuncta, ducenta et quadraginta sunt fere — catalogum integerrimum et apte dispositum evulgavit I. W. White in novi Musei critici, cui nomen Classical Philology, volumine primo (Chicago, 1906). Quo in opere utilissimo multos errores correxit et multi codices, qui variis nominibus litterisque a variis editoribus sunt designati, quo loco iam asserventur indicavit.

[5]) Versibus 1141 et 1177 librarius codicis R spatium certe reliquit.

R, 668 *ἀνηβῆσαι*] *ἀναβῆσαι* R, 702 *κἀγαπητὴν*] *καμπητὴν* R, 1028 *ἐκσκάλευσον*] *ἐκσάλευσον* R.

In *Ecclesiazusis* vero, cuius fabulae textum multo minus vitiosum quam Lysistratae praebet codex R, perpauca sunt quae aliunde corrigi aut potuerint aut debuerint.

In *Thesmophoriazusis* denique fabula recensenda unico fonte utimur R.

Uno adspectu quo facilius legentes possint complecti nomina fabularum, quae in codicibus mentione praesertim dignis extant, ex ordine ea disponam in laterculo qui sequitur:

Ach.	Eq.	Nub.	Vesp.	Pax	Av.	Lys.	Thesm.	Ran.	Eccl.	Plut.
—	V	V	V	V	V	—	—	V	—	V
R	R	R	R	R	R	R	R	R	R	R
A	A	A	—	—	A	—	—	A	A —282	A
Γ	*Γ* (lac.)	—	*Γ* 421 sqq.	*Γ* (lac.)	*Γ* (lac.)	*Γ* (lac.)	—	—	*Γ* —1135	—

Scholia longe uberrima exhibet codex V, quae e Symmachi commentariis saeculo I⁰ vel II⁰ post Chr. n. scriptis sunt excerpta, admixtis recentioris cuiusdam grammatici Phaini aliorumque notulis [1]). Sed in membranarum haud ita magnarum

[1]) Cf. supra pag. 266. — Ad calcem Nubium fabulae in V haec leguntur: „*κεκόλλισται* (l. *κεκώλισται, in versus diremta sunt*) *ἐκ τῶν Ἡλιοδώρου· παραγέγραπται ἐκ τῶν Φαείνου καὶ Συμμάχου καὶ ἄλλων τινῶν.*" In fine Pacis: „*παραγέγραπται ἐκ Φαείνου καὶ Συμμάχου.*" In Avium exitu: „*παραγέγραπται ἐκ τῶν Συμμάχου καὶ ἄλλων σχο\.*" Ante hypothesin Vesparum: „*Φαείνου καὶ Συμμάχου.*"

marginibus quoniam spatii non tantum patebat quantum requirebatur, plurima loco sunt mota, non pauca praetermissa. Multo tamen integriora et uberiora sunt scholia quae hic praebet codex quam quae ceteri.

Misere autem decurtata praebet codex R, nec nisi in fabulis Acharnensibus Lysistrata Thesmophoriazusis Ecclesiazusis, quas non habet V, utilia [1]). Nulla scholia codex R adscripta habet Equitum fabulae partibus sex et Pacis Avium Lysistratae partibus haud exiguis.

Praeterea scholia extant in codice A ad Plutum Ranasque rara, ad Nubes paulo uberiora; in Γ ad septem quas hic codex complectitur fabulas, in Θ ad Plutum et Equites frequentia, pauca ad Nubes et Ranas. Etiam M U alii scholia praebent; sed sordent ea omnia ad scholia V et vix ullius sunt pretii [2]).

---

[1]) Praesertim scholia ad Thesmophoriazusas, quae ex uno R cognoscuntur, bonae frugis satis multa praebent (cf. schol. ad Thesm. 21, 80, 162, 423, 809, 917).

[2]) Prorsus nihili sunt notae Victorianae (*Vict.*), quas Petrus Victorius saeculo XVI° allevit margini editionis Aldinae; non enim e codicibus hodie latitantibus sed e codice Γ eum notulas illas excerpsisse ostendit E. Cary Transactions of the American Philological Association 1907 p. 199—216.

III. De codicum ceteris meliorum Veneti et Ravennatis virtutibus atque vitiis.

Ad textum codicum ceteris nobiliorum V et R ut paullisper etiam redeamus, satis emendate scriptus neque hic est neque ille; sed vitiis omne genus licet uterque scateat, alterius exemplaris menda ex altero longe plurima corrigi possunt, id quod iam diximus. Cuncta autem utriusque vitia si quis proferret, neque gratum faceret cuiquam neque utile. Sed certa quaedam errorum genera indicare, in quae et alii librarii quilibet — perinde atque typothetae hodierni — saepe inciderunt et qui Venetum Ravennatemque codices perscripserunt, id ab his prolegomenis non videtur alienum [1]).

1) De haplographematis.

Haplographiae debentur quae sequuntur:

Ach. 224 in R est:

μηδέ περ γέροντας <ὄντας> ἐκφυγὼν Ἀχαρνέας.

Cuius erroris et alibi meminisse iuvat et Plut. 258, ubi R habet metro invito:

ὡς εἰκὸς ἀσθενεῖς γέροντας ἄνδρας ἤδη,

V autem in deterius ruens:

ὡς εἰκός ἐστιν ἀσθενεῖς γέροντας ἄνδρας ἤδη.

[1]) Quae sequuntur maiorem partem excerpta sunt e Praefatione, quam Ravennatis imagini phototypae praemisi.

Nam et insolitum est *ἐστιν* participio *εἰκός* additum, et vitiose dictum est *γέροντας ἄνδρας ἤδη* nisi participium accedat *ὄντας*. Verum coniuncta Meinekii Blaydesiique opera est restitutum:

ὡς εἰκὸς ἄνδρας ἀσθενεῖς γέροντας <ὄντας> ἤδη.

Tres igitur vitii huius aetates discernimus; nam primum intercidit *ὄντας*, dein verba sunt turbata in codice hodie deperdito, unde et V est ductus et R, tandem *παραδιορθῶν* aliquis in exemplari quod librarius codicis V excripsit, vel in antiquiore etiam codice, metri causa supplevit *ἐστιν*.

Av. 520 codicum V R ceterorum est lectio vitiosa:

ὥμνυ δ' οὐδεὶς τότ' ἀνθρώπων θεόν, ἀλλ' ὄρνιθας ἅπαντες.

Ubi metro iubente Porson restituit:

τότ' <ἂν> ἀνθρώπων.

Lys. 162 habet R:

ἐὰν δὲ τύπτωσιν; — παρέχειν χρὴ κακὰκῶς.

Deletae postmodo sunt litterae *κὰ*, et editio princeps dedit *παρέχειν χρὴ κακῶς*, metro claudicante. Verum praebet *Γ*:

ἐὰν δὲ τύπτωσιν; παρέχειν χρὴ κακὰ <κα>κῶς.

Lys. 768 in R est:

μὴ στασιῶμεν,

verum neque inventu est difficile et in *Γ* legitur:

μὴ στασι<άσ>ωμεν.

Thesm. 443 codex R haec habet:

ὀλίγων ἑνέκ<α κ>αὐτὴ παρῆλθον ῥημάτων.

Cuius erroris manifesti remedium simplicissimum ante Porsonum non est inventum, nam olim in alia omnia aberrabant critici.

Ran. 363 in R est:

ἐξ Αἰγίνης, Θωρυκίων <ὤν>, εἰκοστολόγος κακοδαίμων.

Verum praebet V.

Eccl. 526 muliercula maritum increpans:

οὐ δὴ τάλαιν' ἔγωγε!

ait, si credimus codici R ceterisque. At querentis, non conviciantis est *τάλαινα! vae miserae mihi!* et soloecum est *ἔγωγε* vocativo iunctum; quapropter Plut. 1044 verum esse id quod

praebet V: *τάλαιν' ἐγὼ τῆς ὕβρεως* (immo *-ος*), non id quod R: *τάλαιν' ἔγωγε*, etiamsi non testarentur numeri, testaretur syntaxis. Nostro loco scribatur sola littera *α* pro diphthongo *αι*, quacum permutari solet in litteratura minuscula [1]), et verum emicat, quod primus restituit Reiske:

οὐ δῆ<τα>, τάλαν, ἔγωγε!

Plut. 246 in R legitur:

ἐγὼ δὲ τούτου <τοῦ> τρόπου πώς εἰμ' ἀεί.

Verum habet V.

Plut. 702.

ὑπερ<ηρ>υθρίασε χἠ Πανάκει' ἀπεστράφη.

Versum restituit Bergk. Nam quod habet V: *ὑπηρυθρίασε* licet numeris non damnetur, nihilo tamen minus aperte est vitiosum, quoniam a contextu aliena sunt *ὑπέρυθρος subrubicundus* et verbum — si extitit, nam aliunde non est cognitum — *ὑπερυθριᾶν*. Gemellum vitium in V irrepsit Nub. 136: *ἀπεριμ<ερίμ>νως*, ubi integram lectionem praebet R.

Nihilo magis dubia res est Ach. 358:

τί ουν λέγεις κτἑ.

Sic R pro *τί οὖν <οὐ> λέγεις κτἑ.*

Etiam Thesm. 463 hic afferendus, ubi metro claudicante R praebet

καὶ πολύπλοκον νόημ'.

Dobree revocavit id quod scripserat comicus:

καί <TI> Πολύπλοκον νόημ'.

Idem error in R est Pac. 520:

ὦ πότνια βοτρυόδωρε, <TI> Προσείπω σ' ἔπος,

et in V Ran. 99:

τοιουτονὶ <TI> Παρακεκινδυνευμένον.

Nec non huc facit Av. 1078, ubi R:

λήψεται τάλαντον, ἢν δὲ ζῶντ' ἀγάγητε ταρα,

paulo minus vitiose V:

---

[1]) Exempla e V et R infra afferemus sub 7).

λήψεται τάλαντον, ἢν δὲ ζῶντα ἀγάγῃ τέτταρα,

sed hiatus tum demum est expletus cum in fragmento vetusto, quod evulgavit Weil, reperta est lectio sincera:

ἢν δὲ ζῶντ' ἀπαγάγῃι τέτταρα.

Olim igitur e litteris *ΖΩΝΤΑΠΑΓΑΓΗΙ* duae haplographia interciderunt.

Gemellum vitium in V et R et ceteris codicibus est Pac. 439:

μὰ Δί' ἀλλ' ἐν εἰρήνῃ διαγ<αγ>εῖν τὸν βίον.

Denique indicatus esto Thesm. 494, ubi R:

τὴν νύχθ', ἕωθεν σκορόδια μασώμεθα,

quae metro invito sic distincta sunt in Iuntina:

τὴν νύχθ', ἕωθεν σκορόδια μασώμεθα.

Syllabam supplendam esse vidit Bentley:

ἕωθεν σκόρο<δα> δια μασώμεθα.

Addantur similia duo vitia, quae per paradiorthosin in deterius postmodo sunt mutata. Av. 118 in V R ceteris est:

καὶ γῆν ἐπέτου καὶ τὴν θάλατταν ἐν [1]) κύκλῳ.

Verum restituerunt Elmsley et Beck deleto articulo:

καὶ γῆν ἐπέ<π>του καὶ θάλατταν ἐν κύκλῳ.

Nub. 1276 sq. Strepsiadem et Amyniam sic confabulantes faciunt V R alii:

ΣΤΡ. τὸν ἐγκέφαλον ὥσπερ σεσεῖσθαί μοι δοκεῖς.

ΑΜ. σὺ δὲ νὴ τὸν Ἑρμῆν προσκεκλῆσθαί μοι δοκεῖς.

Ubi e Suida restitutum est verum:

προσκεκλήσ<εσ>θαί γ' ἐμοί.

In vulgata et misere abundat iteratum δοκεῖς et aegre desideratur notio temporis futuri.

2) De versibus propter vicinorum similitudinem omissis.

Haplographematis artissime cognata sunt vitia, quae parit versuum vicinorum similis exitus vel initium. Librarii quae omiserunt, cancellis includemus.

---

[1]) In V omissum est ἐν, in R est θάλασσαν ἐν. Sed levia haec.

Non nisi pauca huiuscemodi menda V et R habent communia, ex communi igitur archetypo repetita; e. g.:

Nub. 112.

εἶναι παρ' αὐτοῖς φασιν ἄμφω τὼ λόγω,
τὸν κρείττον', ὅστις ἐστί, καὶ [τὸν ἥττονα.
τούτοιν τὸν ἕτερον τοῖν λόγοιν,] τὸν ἥττονα,
νικᾶν λέγοντά φασι τἀδικώτατα. [1])

Cui errori similis est in quem codicis A librarius incidit omissis N. 1445—1451 propter vocabulum τὸν ἥττω in exitu versus 1444 et versus 1451 lectum.

Av. 39.

οἱ μὲν γὰρ οὖν τέττιγες ἕνα μὴν' ἢ δύο
ἐπὶ τῶν κραδῶν [ᾄδουσ', Ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ
ἐπὶ τῶν δικῶν] ᾄδουσι, πάντα τὸν βίον.

Codici V et alia sunt propria et sequentia:

Nub. 485.

ἦν μέν γ' ὀφείληταί τί μοι, μνή[μων πάνυ,
ἐὰν δ' ὀφείλω, σχέτλιος, ἐπιλήσ]μων πάνυ.

Vesp. 979.

κατάβα, κατάβα, κατάβα, κατάβα. — [καταβήσομαι.
καίτοι τὸ κατάβα τοῦτο πολλοὺς δὴ πάνυ
ἐξηπάτηκεν. ἀτὰρ ὅμως] καταβήσομαι.

Av. 499.

ἰκτῖνος δ' οὖν τῶν Ἑλλήνων ἦρχεν τότε κἀ[βασίλευεν.
— τῶν Ἑλλήνων; — καὶ κατέδειξέν γ' οὗτος πρῶτος] βασι-

Av. 791. λεύων [2]) κτἑ.

οὐκ ἂν ἐξίδισεν εἰς θοιμάτιον, ἀλλ' ἀν[έπτετο
κἀποπαρδὼν κἀναπνεύσας αὖθις αὖ κατ]έπτετο.

Av. 957.

οὕτω ταχέως τοῦτον πεπύσθαι [τὴν πόλιν.
αὖθις σὺ περιχώρει λαβὼν τὴν χέρνιβα.

---

[1]) -τερα V R non recte.
[2]) Correctum est -ων in -ε et versus in calce paginae suppletus.

εὐφημία ἔστω. — μὴ κατάρξῃ τοῦ τράγου.
— σὺ δ' εἶ τίς; — ὅστις; χρησμολόγος. — οἴμωξέ νυν.
— ὦ δαιμόνιε, τὰ θεῖα μὴ φαύλως φέρε·
ὡς ἐστι Βάκιδος χρησμός, ἄντικρυς λέγων
εἰς τὰς Νεφελοκοκκυγίας. — κἄπειτα πῶς
ταῦτ' οὐκ ἐχρησμολόγεις σὺ πρὶν ἐμὲ] τὴν πόλιν
τήνδ' οἰκίσαι;

Av. 974.

ἔνεστι καὶ τὰ πέδιλα; [— λαβὲ τὸ βιβλίον.
καὶ φιάλην δοῦναι καὶ σπλάγχνων χεῖρ' ἐνιπλῆσαι.
— καὶ σπλάγχνα διδόναι ἔνεστι;] — λαβὲ τὸ βιβλίον.

Av. 1385.

ἀεροδονήτους καὶ νιφοβόλους [ἀναβολάς.
— ἐκ τῶν νεφελῶν γὰρ ἄν τις] ἀναβολὰς λάβοι;

Nub. 1089.

συνηγοροῦσιν ἐκ τίνων;
— ἐξ εὐρυπρώκτων. — [πείθομαι.
τί δαί; τραγῳδοῦσ' ἐκ τίνων;
— ἐξ εὐρυπρώκτων. — εὖ λέγεις.
δημηγοροῦσι δ' ἐκ τίνων;
— ἐξ εὐρυπρώκτων.] ἆρα δῆτ' κτἑ.

Av. 662.

ἐκβίβασον [ἐκ τοῦ βουτόμου τοὐρνίθιον.
— ἐκβίβασον] αὐτοῦ πρὸς θεῶν αὐτήν, κτἑ.

Ran. 1200.

ἀπὸ ληκυθίου [σου τοὺς προλόγους διαφθερῶ.
— ἀπὸ ληκυθίου] σὺ τοὺς ἐμούς; — ἑνὸς μόνου.

Codex R propria habet haec haplographiae exempla:

Ach. 916.

ἐκ τῶν πολεμίων εἰσάγεις [θρυαλλίδας.
— ἔπειτα φαίνεις δῆτα διὰ] θρυαλλίδας.

Nub. 689.

πῶς ἂν καλέσειας ἐντυχὼν [Ἀμυνίᾳ;
— ὅπως ἄν; ὠδί· δεῦρο, δεῦρ',] Ἀμυνία.

Pac. 401.

ἐπεί σε καὶ τιμῶσι [μᾶλλον ἢ πρὸ τοῦ.
— κλέπται γάρ εἰσι νῦν γε] μᾶλλον ἢ πρὸ τοῦ.

Av. 805.

εἰς εὐτέλειαν χηνὶ σύ γε γεγραμ[μένῳ [1]).
— σὺ δὲ κοψίχῳ γε σκάφιον ἀποτετιλ]μένῳ.

Av. 1044.

οὐκ ἀποίσεις τοὺς [νόμους;
πικροὺς ἐγώ σοι τήμερον δείξω] νόμους.

Lys. 900.

μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἢν μὴ διαλλαγῆτέ γε
καὶ τοῦ πολέμου παύσησθε. [— τοιγάρ, ἢν δοκῇ,
ποιήσομεν καὶ ταῦτα.] — τοιγάρ, ἢν δοκῇ,
κἄγωγ' ἄπειμ' ἐκεῖσε.

Thesm. 32.

οὔκ, ἀλλ' ἕτερός τις. [οὐχ ἑόρακας πώποτε;
— μῶν ὁ δασυπώγων; —] οὐχ ἑόρακας πώποτε;

Thesm. 168.

ταῦτ' ἄρ' ὁ Φιλοκλέης αἰσχρὸς ὢν αἰσχρ[ῶς ποιεῖ,
ὁ δ' αὖ [2]) Ξενοκλέης ὢν κακὸς κακ]ῶς ποιεῖ,
ὁ δ' αὖ Θέογνις ψυχρὸς ὢν ψυχρῶς ποιεῖ.

Thesm. 1101.

Περσεύς, πρὸς Ἄργος ναυστολῶν τὸ [Γοργόνος
κάρα κομίζων. — τί λέγι; Γόργονος πέρις
τὸ γραμματέο σὺ τὴ κεπαλή; — τὴν] Γοργόνος
ἔγωγέ φημι.

Ran. 200.

οὔκουν καθεδεῖ δῆτ' ἐνθαδί, γάστρων; [— ἰδού.
— οὔκουν προβαλεῖ τὼ χεῖρε κἀκτενεῖς;] — ἰδού.

Eccl. 524.

ἔξεστι. — πῶς; — εἰ τῆς κεφαλῆς ὄζω [μύρου.
— τί δ'; οὐχὶ βινεῖται γυνὴ κἄνευ] μύρου;

---

[1]) Sic recte Meineke pro *συγγεγραμμένῳ*.
[2]) Probabiliter Brunck *ὁ δὲ*.

Plut. 194.

ἀλλ᾽ ἢν τάλαντά τισ λάβῃ τρια[καίδεκα,
πολὺ μᾶλλον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν ἑκ]καίδεκα.

Idem error est in codice A.

Plut. 214.

κἀκεῖνος οὖν σύνοιδε ταῦτα; — φήμ᾽ [ἐγώ.
— ὁρᾶτε. — μὴ φρόντιζε μηδέν, ὦγαθέ.
ἐγὼ γάρ, εὖ τοῦτ᾽ ἴσθι, κἂν χρῇ [1]) μ᾽ ἀποθανεῖν,
αὐτὸς διαπράξω ταῦτα. — κἂν βούλῃ γ᾽,] ἐγώ.

Plut. 711.

παρέθηκε καὶ δοίδυκα καὶ [κιβώτιον.
— λίθινον; — μὰ Δί᾽ οὐ δῆτ᾽, οὐχὶ τό γε] κιβώτιον.

Eq. 413.

ἢ μάτην γ᾽ ἂν
ἀπομαγδαλιὰς [σιτούμενος τοσοῦτος ἐκτραφείην.
— ἀπομαγδαλιὰς] ὥσπερ κύων; κτἑ.

Av. 59.

ἐποποῖ! [ποιήσεις τοί με κόπτειν αὖθις αὖ;
ἐποποῖ!] — τίνες οὗτοι; κτἑ.

Plut. 832.

ἦ πού σε ταχέως ἐπέλιπεν τὰ χρήματα.
— κομιδῇ μὲν οὖν. [— οὔκουν μετὰ ταῦτ᾽ ἦσθ᾽ ἄθλιος;
— κομιδῇ μὲν οὖν.] — κἀγὼ μὲν κτἑ.

Quorum versuum nonnulli in infamiam hanc ob causam immerito inciderunt [2]). Nonnullos in margine supplevit corrector [3]), non omnes tamen.

Ingens autem huiuscemodi lacuna in codice R hiaret, nisi in tempore detecta esset et ab ipso librario expleta, inserto folio 116. Nam causa versuum Lys. 359—434, quos habet illud folium, prius praetermissorum videntur fuisse versuum 359 et 435 verba *τὴν χεῖρά τις* et *τὴν χεῖρά μοι* similia [4]).

---

[1]) Sic Cobet pro *δεῖ*.
[2]) E. g. Av. 59, 1045 Plut. 712.
[3]) E. g. Av. 806 Lys. 902 Thesm. 33, 169, 1102 sq. Eccl. 525 Plut. 195, 215—217.
[4]) Sic Allen.

Hoc loco etiam Nub. 1233 videtur commemorandus. Colloquuntur Pasias et Strepsiades:

ΠΑ. καὶ ταῦτ' ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς,
ἵν' ἄν κελεύσω ἐγώ σε; ΣΤΡ. <τοὺς> ποίους θεούς;
ΠΑ. τὸν Δία, τὸν Ἑρμῆν, τὸν Ποσειδῶ. κτἑ.

Sic V, in R vero desunt verba: „*ἵν' ἄν κελεύσω ἐγώ σε τοὺς*," cui multi editores fidem habuerunt. At minime supervacaneum est illud *ἵνα κτἑ.*, nisi autem accedat articulus, non rogantis est „*ποίους θεούς*" sed cum risu exclamantis, ut deos ne nauci quidem se facere aperte significet Strepsiades; itaque postquam deletus est articulus, Pasias non potest apte respondere nomina proferendo deorum per quos Strepsiadem iurare iubeat [1]). Quodsi nondum satis certum videatur Ravennati fidem denegandam esse, inspiciatur eiusdem fabulae versus 423, quo melius appareat revera in hunc librarium — eiusve exemplum — cadere huiuscemodi neglegentiam. Scripsit ibi:

ἀλλ' ὅτι δήεις ἤδη θεὸν οὐδένα πλὴν ἅπερ ἡμεῖς,

cum deberet:

ἄλλο τι δῆ<τ' οὖν νομι>εῖς ἤδη κτἑ.,

quae integra (nisi quod ibi quoque est *ἀλλ' ὅτι*) extant in V.

Neque in *scholiis* talia frustra quaeri quivis intellegit. Luculentum exemplum praebet quod legitur in scholio V R ad Nub. 699:

τὸ δὲ τήμερον ἐπὶ χρόνου λέγεται καὶ ἐν Εἰρήνῃ „ἰὼ <Πρασιαὶ ... ὡς ἀπολεῖσθε τήμερον" καὶ ἐν Ὀλκάσι· ἰὼ> Λακεδαίμων, τί ἆρα πείσει τήμερον." [2]).

3) De dittographematis.

Dittographemata aperta extant e. g. locis sequentibus:

Nub. 628 habet R:

οὐκ εἶδον οὕτως ἄνδρ[α γ'] ἄγροικον οὐδένα.

Ubi in V recte (*ἐκ πλήρους*) scriptum est *ἄνδρα ἄγροικον*. Qui locus utilis est ad emendandum versum eodem vitio in V et plerisque laborantem:

---

[1]) Accedit argumentum e re metrica petitum, de quo cf. supra p. 222, 2.
[2]) Cf. Proleg. Pac. p. IX.

Plut. 641.

τίς ἡ βοή ποτ' ἐστίν; ἆρ[α γ'] ἀγγέλλεται [1])
χρηστόν τι;

Vesp. 894.

ἀκούσατ' ἤδη τῆς γραφῆς·[ἧς] ἐγράψατο.

Molestum illud *ἧς* est in V R ceteris, in editionibus fuit usque ad Bentleium.

Pac. 1187 in R est:

ὧν ἐντεῦθεν εὐθύνας ἐμοὶ δώσουσιν

pro: *ὧν ἔτ' εὐθύνας.*

Thesm. 1047.

ἰώ [μοι] μοίρας ἀνέτικτε δαίμων.

Dittographema, quod metro arguitur, delevit Hermann; pro absurdo *ἀνέτικτε* Zanetti olim restituit *ἄτεγκτε* emendatione vere palmari.

Thesm. 1208.

λέλυ[σον]· σὸν ἔργον· φεῦγε κτἑ.

Dele alteram syllabam *σον* utpote dittographema, et fit lacuna, quam explevit Bentley *λέλυσαι* scribendo. Nam unice contextui convenit indicativus; pro quo qui *λέλυσο* coniecere critici, neque lenius adhibuere remedium neque salutare.

Etiam Lys. 1016 dittographematis accenseri potest:

εἶτα πολεμεῖς [εἰπ]έ μοι.

Sic et R et alter testis *Γ*. Metrum est creticum.

Cuiusmodi loci prosunt veram lectionem quaerentibus Lys. 1109, ubi chorus Lysistratam fieri iubet

δεινήν· ἀγαθήν· φαύλην· σεμνήν· ἀγανήν· πολύπειρον.

Nam non solum deest illic pes, sed praeterea molesta sunt *ἀγαθήν* et *φαύλην*, quorum alterum dittographema — aut si quis mavult, lectio altera — alterum interpretamentum videtur vocis *ἀγανήν*. Genuina igitur haec sola arbitramur:

δεινήν, σεμνήν, ἀγανήν, πολύπειρον,

---

[1]) Ceterum *ἀγγέλλετε* illic verum videtur; quod si iure statuimus, referendus hic versus inter exempla permutatorum sonorum *αι* et *ε*, de quibus cf. sub 4).

altera versus pars periit. Quae fortasse sic explenda:

δεῖ δὴ νυνί σε γενέσθαι
<ἐν τοῖσι λόγοις κομψήν,> δεινήν, σεμνήν, ἀγανήν, πολύπειρον.

Nec non hic commemorandi sunt locus unus et alter, ubi bis eadem verba leguntur.

Pac. 17 sq. servi ita confabulantur:

A. οὐκ... ἔθ' οἷός τ' εἰμὶ ὑπερέχειν τῆς ἀντλίας.
B. αὐτὴν ἄρ' οἴσω ξυλλαβὼν τὴν ἀντλίαν.

Sentina quoniam nequit *corripi*, patet e versu proximo vocem esse repetitam. Lacuna igitur indicanda, quae sic potest suppleri:

αὐτὴν ἄρ' οἴσω ξυλλαβὼν τὴν <κάρδοπον>.

Idque legisse videtur qui in scholiis scripsit: „ἀντὶ τοῦ σκάφην. ταῦτα δὲ εἰπὼν προσφέρει τὸ ἀγγεῖον ἐν ᾧ ἐφύρα".

Plut. 1128 sqq. Mercurii sunt clamores lugubres:

οἴμοι δὲ κωλῆς ἣν ἐγὼ κατήσθιον!

et uno versu intermisso:

σπλάγχνων τε θερμῶν ὧν ἐγὼ κατήσθιον!

Ubi quin librariis, non comico debeantur verba iterata dubium non videtur. Sunt tamen in V R [1]) ceteris. Aut priore loco primitus eiusmodi quid fuisse videtur:

οἴμοι δὲ κωλῆς <τῆς ἐμοὶ πάλαι φίλης>

aut posteriore:

σπλάγχνων τε θερμῶν ὧν <κατεβρόχθιζον τότε>.

Eadem causa nimis sibi similes fecit versus vicinos Thesm. 260 et 263:

A. ἆρ' ἁρμόσει μοι; *B.* νὴ Δί' κτἑ....
A. ἆρ' ἁρμόσει μοι; χαλαρὰ γοῦν κτἑ.

Quorum priorem vitium contraxisse satis docet contextus.

Nec non vox monstrosa Ἀττικωνικοί Pac. 215 hinc duxit originem. Quo loco Mercurius Graecos increpans *bellare* ait *malebatis, licet dii pacem conciliarent,*

---

[1]) In R versus 1129 sq. propter τὸ ὁμοιοτέλευτον sunt omissi, dein in margine additi.

κεἰ μὲν οἱ Λακωνικοὶ
ὑπερβάλοιντο μικρόν, ἔλεγον ἂν ταδί·
„ναὶ τὼ σιώ, νῦν Ὠττικίων δωσεῖ δίκαν!“ [1])
εἰ δ' αὖ τι πράξαιντ' ἀγαθὸν Ἀττικωνικοὶ
καὶ ἔλθοιεν οἱ Λάκωνες εἰρήνης πέρι,
ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς εὐθύς· „ἐξαπατώμεθα“ κτἑ.

Leve codicum vitium πράξαιντ' pro πράξαιτ' in versu 215 correxit Bekker, sed praeterea deletis litteris ωνι, quae e versus 212 exitu sunt repetitae, sic scribatur:

εἰ δ' αὖ τι πράξαιτ' ἀγαθὸν <ὑμεῖς> Ἀττικοί.

Simile quid perpessus est Pacis versus 1154. In suavi chori cantico fingitur herus famulo iussa dans: *quatuor sunt domi* λαγῷα, ait:

ὧν ἔνεγκ', ὦ παῖ, τρί' ἡμῖν, ἓν δὲ δοῦναι τῷ πατρί·
μυρρίνας τ' αἴτησον ἐξ Αἰσχινάδου τῶν καρπίμων,
καὶ ἅμα τῆς αὐτῆς ὁδοῦ Χαρινάδην τις βωσάτω κτἑ.

Unde nomen Αἰσχίνάδου alienum esse testantur numeri. Nempe litterae αδ e versu proximo irrepsisse videntur, dein pepulisse praepositionem, comicus autem scripsisse:

μυρρίνας τ' αἴτησον ἓξ <παρ'> Αἰσχίνου τῶν καρπίμων.

4) De permutatis sonis αι et ε.

Plane vulgaris hic est error nec dignus qui in notis criticis commemoretur. Unum et alterum tamen hic dandum est exemplum.

Ach. 263.

φαλῆς ἑταῖρε βακχείου.

Sic R. Verum est ἕταιρε Βακχίου.

Minus apertum est vitium metricum, certum tamen, Ach. 912:

ταῦτα. — τί δαὶ κακὸν παθών.

Ubi Bentley pro δαὶ restituit δὲ [2]).

---

[1]) Doricis formis verborum in codd. substituta sunt: ἀττικίων δώσει δίκην.
[2]) Cf. supra pag. 207, 2.

Nub. 797 in V et in R est:

ἀλλ' ἔσται μοι γ' υἱὸς καλός τε κἀγαθός,

ubi et metrum vitium crepat et γε particula pronominis formae encliticae subiuncta. Patet verum esse ἀλλ' ἔστ' ἐμοί γ'.

Vesp. 890 uterque habet:

τῶν γενναιοτέρων.

Verum esse τῶν γε νεωτέρων cum numeri docent tum contextus.

Pac. 628 in V et in R est:

καὶ κορώναιόν γέ μου | ἐξέκοψαν.

Verum est κορώνεων.

Lys. 1153 in R legitur:

πολλοὺς δ' ἑτέρους ἱππίους καὶ ξυμμάχους.

Apud Suidam extat lectio sincera: ἑταίρους Ἱππίου.

Thesm. 947 unicus codex R habet:

ἄγε νῦν ἡμεῖς πέσωμεν ἅπερ νόμος κτἑ.

Poetam dedisse παίσωμεν nemo non videt.

Eccl. 987 iuvenis a vetula correptus exclamat: *Nemo ad ludendum vi cogitur*:

τῷ βουλομένῳ γε, κατὰ τὸν ἐν παιτοῖς νόμον,

si fides codici R. Cui retorquet illa:

ἀλλ' οὐδὲ δειπνεῖς κατὰ τὸν ἐν παιτοῖς νόμον.

Si non vis amare, non vis edere. Miramur autem illam „ἐν παιτοῖς" legem, magis miramur hominem vesane doctum, qui in scholiis annotavit „*Thraciae hanc esse gentem*". Nempe *Paetorum* apud Herodotum mentionem viderat factam. Propius a vero distat codex Γ, qui ἐν πετοῖς habet, integra autem vox ἐν πεττοῖς aut e coniectura est restituenda — neque arduum sane id negotium — aut sumenda e codice B.

Minime gravia haec ulcera. Attamen ab hac quoque parte instat periculum; nam si accedat hominum stultorum paradiorthosis, ne talia quidem satis facile agnoscuntur. Ex. gr. Lys. 565 in R legitur:

πῶς οὖν ὑμεῖς δύνασθε παῦσαι τεταραγμένα πράγματα πολλά.

Verum Porson primus restituit:

πῶς οὖν ὑμεῖς δυναταὶ κτἑ.

Olim δύνατε scriptum est, id in δύνασθε abiit; et novum monstrum inde prognatum δύνασθαι habet Γ.

Plut. 196 codices V R ceteri habent:

κἠν ταῦθ' ἁνύσηι τετταράκοντα βούλεταί,

metro linguaque invitis. Verum dedit Dawes:

κἠν ταῦθ' ἁνύση<ται> τετταράκοντα βούλεται.

Abiit -ται in -τε, dein abiecta est syllaba utpote dittographema.

Similem originem habet vitium ioculare, quo laborat scholion V — ut etiam e scholiis afferamus exemplum — ad Ran. 149 ἢ πατρὸς γνάθον | ἐπάταξεν: „ἢ γεραιὰν γνάθον ἔκρουσε", immo: „ἢ ἑτέραν γν. ἔκρουσε".

Non nisi paucissimis locis non plane constat utrum αι an ε sit genuinum. Sic Av. 1347 in V est:

ὅτι καλὸν νομίζεται,

in R autem:

ὅτι καλὸν νομίζεται.

Ubi veteres dubitarunt et etiamnunc potest dubitari [1]).

5) De permutatis sonis οι et υ.

Ut αι et ε, sic οι et υ solent permutari [2]).

Etiam in V et R hoc vitiorum genus ut frequens, ita innocuum. Nam mulieres Thesm. 392 revera dici μυχοτρόπους nemo crederet, etiamsi vera lectio μοιχοτρόπους servata non esset apud Suidam. In vicinia redeunt μυχόν et μυχοῖς, ubi μοιχόν et μοιχοῖς flagitat contextus [3]). Alibi πυός τις vox rarior (recte sic V) in R facta est ποῖός τις [4]).

---

[1]) Cf. etiam Plut. 641 supra pag. 289 et Eccl. 23.

[2]) Ex aliis poetis ut unum et alterum subiungatur exemplum, apud Homerum ἀθέσφατος οἶνος Elpenori struxit perniciem λ 61, si credimus codicibus (invito ƒ), sed apud Stobaeum extat lectio sincera ἀθέσφατος ὕπνος, et ξ 8 Eumaeus stabula non ὕεσσιν sed οἴεσσιν struxisse dicitur in codicibus quibusdam; apud Sophoclem autem non ἐτύμα sive *certa* φθογγά chori aures ferit Philoct. 205, si fides codici Laurentiano, sed ἑτοίμα.

[3]) Thesm. 417, 501.

[4]) Pac. 1150.

Etiam σοι et σύ permutari potuisse non est quod hic demonstretur. E. g. anapaesti tetrametri in V et in R hoc est exordium Vesp. 678:

σὺ δ' ὧν ἄρχεις κτἑ. (sequitur: δίδωσιν).

Vel Thesm. 860 in R legitur:

σύ τ' ὤλεθρε | πατὴρ ἐκεῖνός ἐστι;

et Pac. 379:

ἀγὼ προθύμως σὺ φέρων ἀφικόμην.

Magis miramur Thesm. 995 chori Bacchum invocantis verba:

ἀμφὶ δὲ σοὶ κτυπεῖται Κιθαιρώνιος Ἠχώ

in R sic scripta:

ἀμφὶ δὲ συῒ κτυπεῖται,

et stupemus illam scrofam non solum in Ravennatis umbram codicem Augustanum sed etiam in editiones typis impressas Iuntinam Frobenianam alias receptam atque fotam.

Potestne absurdius etiam fingi vitium? fortasse potest; nam vide quid in scholiis ad versum vicinum 910 legatur, ubi Euripides dicitur Κλειτοῦς non *filius* sed „οἰωνὸς" fuisse.

Itaque innocentia iam videntur κοιλιδιᾶν pro κυλοιδιᾶν Lys. 472 [1]), ποικινοὶ pro πυκνοὶ Lys. 388, τυράννους pro κοιράνους Ach. 472, neque admodum miramur οἰκίαν scriptum quod ὑδρίαν esse debebat Lys. 327 [2]). Fortasse etiam Ach. 800 huc referendus, ubi quod in R ceterisque codicibus legitur χοῖρε χοῖρε Bergk χύρρε χύρρε scribendum esse effecit e grammaticorum locis, ubi porcellos vocantium haec vox fuisse dicitur.

Nec non hinc repetendum videtur nomen famuli plane mirificum χρυσέ, quod in V R ceteris codicibus traditum est Vesp. 1251. Bdelycleonis sunt verba:

παῖ παῖ, τὸ δεῖπνον χρυσὲ συσκεύαζε νῷν.

Verum duco:

τὸ δεῖπνον οἶσε,

huc affer, ut deinde claudatur enuntiatum. Sic alibi apud nostrum „ἅλας θυμίτας οἶσε" et similia leguntur.

---

[1]) Item Photius s. v. αἰμωδεῖν (Phot. ed. Reitzenstein p. 53).

[2]) In margine id emendatum est.

6) De permutatis sonis ει et ι.

Etiam sonos *ει* et *ι* saepissime permutari omnes novimus. Exemplo sit quod in R est Lys. 631:

ἀλλ' ἐμοῦ μὲν οὐ τυραννεύσουσιν· ἐπὶ φυλάξομαι.

Immo: *οὐ τυραννεύσουσ'· ἐπεὶ φυλάξομαι.*

Similis error in R paratur Nub. 862:

οἶδ' ἐξετει σοι τραυλίσαντι πιθόμενος,

perpetratus est in V:

οἶδ' ἐξέτι σοι κτἑ.

Pudet fere adscribere, *ἑξέτει* esse id quod dederat comicus.

Non minus foedo vitio corruptus est Eccl. 167, ubi *ἐκεῖνον εἴ τι βλέψασα* dedit codicis R librarius, *ἔπι βλέψασα* corrector, *ἐπιβλέψασα* codex *Γ*. Verum restituit Elmsley: *ἐκεινονὶ βλέψασα*.

Etiam lectio hodierna Eccl. 202 sic est nata:

σωτηρία παρέκυψεν, ἀλλ' ὁρίζεται | Θρασύβουλος.

Sic *Γ*. Etiamne R? Non ita, sed *ἀλλ' ορειζεται*. Monstrum feliciter procuravit Hermann scribendo *ἀλλ' ὀργίζεται*. Litterae *ΓΙ* in *ΘΙ* abiere, hinc paradiorthosis bellum illud *ὁρίζεται* effinxit.

Eiusdem farinae est e. g. in V et in R: *τί οὖν* et *τί σοι πείθομαι* Nub. 87 Vesp. 761 pro *τί οὖν* et *τί σοι πίθωμαι*. Etiam *πεινῶντα* Plut. 297 scriptum pro *πινῶντα squalidum*, quod restituit Brunck, hic afferendum. Qualia qui multa offendit, audacem non dicet coniecturam Thesm. 21:

θεῖόν τί πού ἐστιν αἱ σοφαὶ ξυνουσίαι,

ubi *οἷον* est in R: *OION—ΘΙΟΝ*. Vel. Eq. 327

πρῶτος ὤν· ὁ δ' Ἱπποδάμου θλίβεται θεώμενος

pro codicum lectione *λείβεται*. *Tu primo loco sedes (Cleon), sed inter popellum nimis arto loco sedet Archeptolemus vir gravis et de patria optime meritus (ΘΛΕΙΒΕΤΑΙ—ΛΕΙΒΕΤΑΙ).*

7) De litteris αι et α permutatis.

Non propter *sonorum* sed propter *ductuum* similitudinem fre-

quens est diphthongi αι et litterae α in litteratura minuscula confusio. Aptum simplexque exemplum extat Plut. 1136, ubi in V legitur εἴ μοι πορίσαις ... δοίης, sinceram vero lectionem πορίσας praebet R. Neque minus apertus error est Thesm. 982, ubi διπλῆν χαίρειν χορείας pro χάριν habet R. Qualia lectorem nullum, qui quidem non plane hebes esset, fallere potuerunt unquam. Paullo minus innocuum est vitium χάλαι (ᾳ) pro imperativo χάλα in R scriptum Thesm. 638; et fallacissima sunt haec:

Ach. 282.

παῖε παῖε τὸν μιαρόν.

Leg. παῖε πᾶς (Bergk).

Lys. 506.

τοῦτο μὲν ὦ γραῦ σαυτῇ κρώξαις.

Leg. (ἔ)κρωξας (Meineke).

Inversa autem ratione αι in α abiit Lys. 1105, ubi iocum vere Aristophaneum leve hoc vitium diu obscuravit. *Quoniam et Lacones et Athenienses iam adsumus*, unus Atheniensium ait, *quin advocamus Lysistratam?*

τί οὐ καλοῦμεν δῆτα τὴν Λυσιστράτην;

Cui Laco:

ναὶ τὼ σιὼ καλεῖτε τὸν Λυσίστρατον.

Sic codicis R textus, sed meliora docet scholion, nimis tamen abruptum: „κἂν λῆτε κἂν βούλησθε. διαβάλλει τινά". Recens manus illud „κἂν λῆτε" in textum invexit, Ahrens autem perfecit correctionem:

ναὶ τὼ σιὼ καὶ λῆτε τὸν Λυσίστρατον.

Quin etiam Lysistratum advocetis per me licet! Quivis homo, cuius nomen λύσιν τῆς στρατιᾶς καὶ τοῦ πολέμου promittat, acceptus nobis erit, etiam Lysistratus ille ὁ σκωπτόλης, τὸ Χολαργέων ὄνειδος ἐκεῖνο.

In codice V similis error est Eq. 211. Quo loco R recte habet:

τὰ μὲν λόγια αἰκάλλει με,

V vero: τὰ μὲν λόγια 'καλλεῖ με, stultus autem homo inde effecit id quod in scholiis tanquam „lectio altera" commemoratur: τὰ μὲν

λόγια καλεῖ με. Hoc demum est sapere. Archetypum habuit ταμενλογιαικαλλειμε.

Sic etiam Plut. 725 corruptus est in V R:

ἵν' ὑπομνύμενον (sic Girardus pro ἐπ.) παύσω σε τὰς ἐκκλησίας.

Immo ταῖς ἐκκλησίαις, quod praebet scholion. Codices recentiores obsedit paradiorthoma: τῆς ἐκκλησίας.

8) De permutatis litteris η et ω.

Non in minuscula litteratura sed in multo antiquiore facile permutari potuit littera η cum ω et saepe permutata est. Apud Homerum ex huiusmodi erroribus natae sunt lectiones πήληκα pro κώληπα Ψ 726, ἐπιβήτορι μήλων pro -βώτορι ν 222, quae lectio defensores et interpretes nacta est haud illepidos: „ἐπι-„στάτῃ ἢ ἐφιππαστῆρι· οἱ γὰρ τῶν βασιλέων υἱοὶ ἐπὶ τῶν κριῶν „ἱππεύειν ἐμάνθανον" (Hesych.), διηθείς pro ἰδνωθείς χ 85. Apud comicum autem hinc originem traxit vitium manifestum Av. 1582, ubi in V R ceteris est:

ἀλλ' ἐπικνῶ τὸ σίλφιον.

Quae quoniam non *respondentis* sed *iubentis* esse verba docet contextus, certa est Dobraei emendatio: ἀλλ' ἐπίκνη, idque legit olim qui annotavit quod in R est adscriptum: „ἀντὶ τοῦ ἐπίβαλλε", nec non is cui longior codicis V debetur notula: „δοκεῖ πρὸς μάγειρον οἰκεῖον διαλέγεσθαι ἐπὶ τῷ εὑτρεπίσαι τὸ δεῖπνον."

Nec minus certa emendatione manum poetae restituit vHerwerden in fr. 387 apud Stobaeum allato, ubi inter bona quae affert pax commemoratur τὸ ἀκούειν φωνὴν τρυγὸς

εἰς λεκάνην ὠθουμένης,

immo ἠθουμένης, *dum percolatur*.

Simili vitio laborat textus Thesm. 1031, quo loco personata Andromeda

οὐ χοροῖσ' οὐδ'
ἐφηλίκων νεανίδων
ψῆφον κημὸν ἔστηκ' ἄγουσα

queritur teste codice R. Quae verba sunt sine sensu, arena sine

calce. Pro *κημὸν* legatur *κῶμον*, deleatur autem *ψῆφον*, utpote lectionis vitiosae interpretamentum [1]).

Nec non afferendus hic videtur Eccl. 627. In novo reip. statu, Praxagora ait, cum et cetera communia erunt et mulieres, non pulcri viri soli — id quod verebatur Blepyrus — feminis fruentur,

ἀλλὰ φυλάξουσ' οἱ φαυλότεροι τοὺς καλλίους ἀπιόντας
ἀπὸ τοῦ δείπνου, καὶ τηρήσουσ' ἐπὶ τοῖσιν δημοσίοισιν
οἱ φαυλότεροι κοὐκ ἔξεσται παρὰ τοῖσι καλοῖς καταδαρθεῖν
ταῖσι γυναιξὶν πρὶν τοῖς αἰσχροῖς καὶ τοῖς μικροῖς χαρίσονται.

Sic R. In *Γ* desideratur versus paenultimus. Emblema manifestum *οἱ φαυλότεροι* ibi delevit Tyrwhitt, dein probabiliter explevit verbis *καὶ τοῖς μεγάλοις* post *καλοῖς* insertis. Praeterea in versu ultimo *ταῖσι γυναιξὶ πρὶν <ἂν> ... χαρίσωνται* restituit Porson. Denique pro *δημοσίοισιν* legatur *δωματίοισιν*. Non enim apud *carnifices*, neque apud *medicos* publicos, neque prope *loca* nescio quae publica — ubi talia non peraguntur — adstabunt viri deformiores, sed *ad fores cubiculorum*.

9) De permutatis ους—οις, ὡς—καί—ἤ.

Etiam *-ους* et *-οις* terminationes permutatae inter tralaticia sunt vitia, in minuscula potissimum litteratura. Unum sufficit exemplum:

Ach. 965.

κραδαίνων τρεῖς κατασκίοις λόφοις.

Sic R, nec non in V^{i} saeculi papyro nuper repertum est *....λόφοις*. Requiritur accusativus, *τρεῖς κατασκίους λόφους*, gliscens autem deprehenditur vitium in codicibus sequioribus, qui *τρισὶ κατασκίοις λόφοις* habent.

Recte vero Ach. 627 in R legitur *τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν* id quod in aliis codicibus est *τοὺς ἀναπαίστους*.

---

[1]) Neglexi nunc leviora codicis vitia; fusius de hoc loco disputabitur infra.

Etiam *καί* — *ἤ* (*ἦ*) — *ὡς* particulas saepe permutari nota res est.

Permutatae sunt *καί* et *ἤ* Eq. 437, ubi verum servavit codex R:

ὡς οὗτος ἤδη καικίας ἢ συκοφαντίας πνεῖ,

in V autem legitur: *καικίας ϟ* (= *καὶ*) *συκοφαντίας πνεῖ.*

Etiam aptius exemplum est Vesp. 550, ubi metro invito in V et in R haec leguntur:

τί γὰρ εὔδαιμον ἢ καὶ μακαριστὸν μᾶλλον νῦν ἐστι δικαστοῦ.

Fuit igitur in archetypo *εὔδαιμον* $\overset{καὶ}{ἢ}$ [1]), vitium autem olim peperit signum quod utrivis particulae erat simile.

Simillimus error est Eccl. 474:

ὅσ' ἂν ἀνόητα χ' ἢ μῶρα βουλευσώμεθα R.

ἀνόητα καὶ *Γ.*

Bentley *ἀνόητ' ἢ.*

Non minus certa res est Ran. 104, licet idem vitium ibi praebeant V et R et omnes:

ἦ μὴν κόβαλά γ' ἐστίν.

Quae quoniam non *iurantis* sunt sed *obicientis*, suo iure Cobet restituit:

καὶ μὴν κόβαλά γ' ἐστίν,

at merae hae sunt nugae!

Cognatum est vitium Nub. 1119; ubi Nubium chorus:

εἶτα τὸν καρπὸν τεκούσας ἀμπέλους φυλάξομεν.

Sic V R (-οῦ-) ceteri, sunt autem verba *ἀδιανόητα*. Verum vidit Corais, qui scripsit:

τὸν καρπόν τε καὶ τὰς ἀμπέλους,

cum fruges tum vites custodiemus. Quod in archetypo exaratum erat TЄKϟTAC in TЄK8CAC abiit.

Permutatae sunt *καί* et *ὡς* particulae Lys. 1148, ubi Laco admirationem apertius quam honestius significans

ὁ πρῶκτος ἅφατος ϟ καλός

---

[1]) Cf. infra sub 11).

ait, *ineffabilis et pulcer*, si credimus testi unico R. Non credidit Bentley, sed restituit id quod dederat poeta:

ἄφατον ὡς καλός,

mirum quam pulcer.

Etiam Ran. 1196 sic videtur corrigendus. Ubi Aeschylus Euripidem irridet, qui Oedipum *felicem* aliquando fuisse perhibeat. Ille homo, qui infans per frigus hiemale est expositus, dein anum eamque suam ipsius matrem duxit uxorem, dein oculos sibi effodit ipse, felix erat scilicet! Subiungit Dionysus secum sive ad spectatores verba faciens:

εἰ καὶ ἐστρατήγησέν γε μετ' Ἐρασινίδου!

Sed apte non decurrit oratio nisi pro καὶ scribatur ὡς:

ὡς εἰ ἐστρατήγησέν γε μετ' Ἐρασινίδου!

Adeo sane beatus fuit ille ut si cum Erasinide ad Arginusas suo damno vicisset.

Permutatarum particularum ἤ et ὡς e multis exemplis haec allata sufficient, quae praebent scholia ad Pacem:

Ad Pac. 1: „ἢ τάχοσ ἢ διὰ ταχέως." Sic V, in R autem praemissum est lemma: „ὡς τάχιστα· ἢ τάχος ἢ διὰ ταχέων." Uterque vitiose, sed propius a vero distat V; nam legendum est: „ὡς τάχος ἢ (= τοῦτ' ἔστι) διὰ ταχέων." Et egregie sic confirmatur Kiehlii coniectura, qui in textu pro

αἶρ', αἶρε μᾶζαν ὡς τάχιστα κανθάρῳ

articulum et ipsam poetae manum restituit scribendo

αἶρ', αἶρε μᾶζαν ὡσ τάχοσ τῷ κανθάρῳ.

Non minus luculentum huiuscemodi errorum exemplum praebet scholion V ad coryphaei verba Pac. 617: „*nunquam antehac audivi Pacem ad Phidiam pertinere*:

ταῦτ' ἄρ' εὐπρόσωπος ἦν,
οὖσα συγγενὴσ ἐκείνου."

Ad haec igitur verba in V est annotatum: „ὡς πρὸς τὸν Φειδίαν οὖν ἡ καλὰ ξόανα ποιοῦσα."

Ubi scribendum est: „πρὸς τὸν Φειδίαν οὖν ὡς καλὰ ξόανα ποιοῦντα." Articulo ἡ aut feminino generi nullus locus.

10) De permutatis pronominibus ἡμεῖς — ὑμεῖς, praepositionibus πρός—πρό aliis.

Exempla pronominum ἡμεῖς et ὑμεῖς in V et in R, ut in aliis codicibus, passim permutatorum afferre inutile duco. Vitio frequentius debetur ἡμεῖς quam ὑμεῖς, neque hoc tamen raro, e. g. in R Vesp. 419 vel 1080.

Queritur Aristophanes de Hyperbolo iam dici quae ipse olim de Cleone dixisset multo aptius et festivius; certatim istum deridendum propinant omnes

τὰς εἰκοὺς <καὶ τὰς ἰδέας> τὰς ἐμὰς μιμούμενοι,

cum imagines tum ipsa inventa mea imitati, et verbis meis usi et rebus a me excogitatis. Equitum fabulae mentionem modo a comico iniectam esse cum vidissent interpretes, illa fabula inspecta in imaginem notissimam et lepidissimam inciderunt, qua demagogi assimulantur piscatoribus in turbida potissimum aqua anguillas captantibus; quam aut solam aut prae ceteris nunc spectari rati voci εἰκούς superscripserunt „τῶν ἐγχέλεων."

Etiam Eccl. 78 huiusmodi vitio laborat. Ubi in concionem mulier quaedam procedens Lamii mariti sui baculum (τὸ σκύταλον) tenere se dicit, quem virum aliunde ignotum tunc tem-

poris inter oratores populares fuisse hinc intellegimus. Dein Praxagora

τοῦτ' ἐστ' ἐκεῖνο· τῶν σκυτάλων ὧν πέρδεται.

Quae utinam indecora certe essent verba! sed merae sunt nugae.

τὸ σκύταλον

Notula ἐκεῖνο turbas dedisse videtur, deleto autem emblemate et collatis vs. 149 sq.:

ἄγε νυν ὅπως ἀνδριστὶ καὶ καλῶς ἐρεῖς
διερεισαμένη τὸ σχῆμα τῇ βακτηρίᾳ

versus sic fortasse explendus:

τοῦτ' ἐστ' ἐκεῖν' ᾧπερ <λέγων διερεί>δεται.

Credibile non videtur tale monstrum et codici R et ceteris inhaerere? Reputa sodes tecum quam sublesta sit fides ceterorum codicum, in quibus haec fabula est tradita, et recordare versus supra [1]) allati Nub. 423, quem talem exhibet R:

ἀλλ' ὅτι δήεις ἤδη κτἑ.,

cum deberet:

ἄλλο τι δῆ<τ' οὖν νομι>εῖς ἤδη κτἑ.

vel verbi συνεκποτέ' in R οὔνεκά ποτε scripti Plut. 1085 [2]).

Denique Av. 293 hic commemorandus, ubi de avibus cristatis Epops:

ὥσπερ οἱ Κᾶρες μὲν οὖν
ἐπὶ τῶν λοφων οἰκοῦσ', ὦγάθ', ἀσφαλείας οὕνεκα.

Sic R; in V est

ἐπι λόφων οἰκοῦσ'

et apud sequiores tetrametri speciem haec induerunt:

ἐπὶ λόφων οἰκοῦσιν κτἑ.

Iocatur Epops: iocosi tamen nihil habet textus traditus; nam plane absurde alites, qui ingentibus cristis sunt ornati, dicuntur ἐπὶ λόφων οἰκεῖν sive *in collibus habitare*. Lucem loco reddidit Herwerdeni acumen. Comicus dedit:

τοὺς λόφους ἔχουσιν, ὦ ἀγάθ', ἀσφαλείας οὕνεκα.

Quod verbum ambiguum — nam et *cristas habere* et *colles tenere*

[1]) Cf. pag. 288.
[2]) Cf. pag. 315.

significare potest — ad Cares quomodo pertineret ut ostenderet, ludimagister aliquis superscripsit „ἐπὶ τῶν λόφων οἰκοῦσι". Similem iocum praebet idem verbum in fabula coaetanea Lysistrata, ubi mulier Boeotia „καλὸν πεδίον ἔχειν" dicitur (Lys. 88).

Nunc de locis, ubi *proprium nomen* adscriptum turbas dedit, aliquid est dicendum. Certa quaedam et aperta praemittemus, ut his uti possimus ad abdita magis vitia indaganda.

Nonnunquam haec quoque monstra in coeno codicum, ut mures in limo Aegyptio, inchoata deprehenduntur, nondum perfecta. Sic Lysistrata fabula in codice R his verbis clauditur:

καὶ τὰν σιὰν δ' αὐτὰν κρατίσταν καὶ τὴν θν̄
χαλκίοικον ὕμνει ἀθηναν·
τὰν παμμάχον: —

In textum codicum B et P receptum est interpretamentum; habent enim: καὶ τὰν σιὰν δ' αὐτὰν κρατίσταν τὴν Ἀθηνᾶν κτέ., errorem autem articulus parum doricus τήν quamvis levi indicio prodit. Emblema simillimum simili indicio proditur vs. 1262:

ἀγροτέρ' ἄρτεμι σηροκτόνε.

Ubi non Ἄρταμι — quod flagitat dialectus — scribendum esse sed nomen proprium esse delendum docent numeri, nam elisum ᾱ sonat vitium. Quamquam aliquando tolerabile videri id potuit, nam Thesm. 1077 verba „ὦγάθ' ἔασον" interpretari „ὦ ἀγαθὴ ἔασον" iubemur in scholiis.

Hisce igitur locis ad oculos demonstrari potest error. Alibi mentis tantum acumine cernitur. E. g. in Thesmophoriazusis dux chori in exordio precum sollemnium, quae metro non sunt adstrictae, sic invocat numina (Thesm. 296 sqq.):

εὔχεσθε ταῖν [1]) θεσμοφόροιν·
τῇι δήμητρι· καὶ τῇι κόρηι
καὶ τῶι πλούτωι καὶ τῇι καλλιγενείαι·
εἴτε τη γῆ εἴτε τῆ καὶ τῇι κουροτρόφωι τῇι γῆι·
εστία καὶ τῶι ἑρμῆι καὶ [2]) χάρισιν.

[1]) τοῖν scribendum.
[2]) Intercidit ταῖς.

Ubi lectio, quam codicis unici R praebet textus, refellitur nota marginali; nam qui voci κουροτρόφῳ adscripsit: „εἴτε τῇ γῇ εἴτε τῇ ἑστίᾳ" non legebat apud ipsum comicum vocem τῇ γῇ. Ergo postmodo illuc irrepsit. Est autem *non recte* interpretantis; nam neque Vesta neque Terra sic vocatur, sed almas deas, quae vitae cultiori praesident, comitari dicuntur daemones, quibus et frugum et prolis humanae natales atque incrementa sunt curae.

Quo deleto emblemate non possumus quin et Cereris Filiaeque nomina voci Θεσμοφόροιν subiuncta pro spuriis habeamus. Et sic demum verbis poetae pristinus redditur nitor:

εὔχεσθε τοῖν Θεσμοφόροιν
καὶ τῷ Πλούτῳ καὶ τῇ Καλλιγενείᾳ καὶ τῇ Κουροτρόφῳ,
καὶ τῷ Ἑρμῇ, καὶ ταῖς Χάρισιν [1]).

Molesta sunt haec emblemata: verbis vicinis perniciosa non fuere. Alia vero expulerunt ipsa verba poetae. Luculentum exemplum praebent Trygaei παρατραγῳδοῦντος verba Pac. 530:

ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον πλέκος.
τοῦ μὲν γὰρ ὄζει κρομμυοξυρεγμίας,
ταύτης δ' ὀπώρας, ὑποδοχῆς, Διονυσίων,
αὐλῶν, τραγῳδῶν κτἑ.

Militaris igitur γυλιὸς ipsumque bellum dicitur redolere κρομμυοξυρεγμίας — quod κρομμυοξυ(ε)ρυγμίας videtur scribendum —, pax vero laeta convivia et ludos et choreas. Sed male intellectis poetae verbis interpres quidam „ταύτην" non ipsam *Pacem* deam dici ratus est, sed eius famulam, quam Trygaeus uxorem ducturus est, Ὀπώραν: huius igitur nomen superscripsit pronomini. In contextum illud nomen receptum expulit aliud vocabulum; in archetypo fortasse erat:

ὀπώρας
ταύτης δὲ <βοτρύων>, ὑποδοχῆς, Διονυσίων κτἑ.

In proxima vicinia error gemellus est commissus. Nam vs. 523 sq. ita sunt traditi:

---

[1]) Vocem τῇ γῇ delevit Dobree, Cereris Filiaeque nomina Blaydes.

ὦ χαῖρ' Ὀπώρα, καὶ σὺ δ', ὦ Θεωρία.
οἷον δ' ἔχεις τὸ πρόσωπον, ὦ Θεωρία κτἑ.

Ubi ad ipsam deam, non ad eius ministram, ultima verba dici sentiens Meineke pro altero ὦ Θεωρία probabiliter profecto scripsit Εἰρήνη φίλη.

Non minus apertum huiusmodi errorem ostendit Pluti versus κακόμετρος 1173. Qui in codicibus sic scriptus est:

V: ἀφ' οὗ γὰρ βλέπειν ὁ Πλοῦτος ἤρξατο.
R: ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος ἤρξατο βλέπειν.
A: ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Πλοῦτος οὗτος ἤρξατο βλέπειν.

Restituit Elmsley id quod versu 968 legitur:

ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Θεὸς οὗτος ἤρξατο βλέπειν.

πλοῦτος
Olim fuit: ὁ Θσ οὗτος, quae aliter in aliis codicibus sunt corrupta, in V etiam turbata.

Idem Plut. 226 obtinere videtur, licet codices ibi inter se consentiant neque claudicet metrum. Chremylus famulum iubet convocare agricolas, ut quisque eorum

ἡμῖν μετάσχῃ τοῦδε τοῦ Πλούτου μέρος.

Balbutientis est: *pars huius Pluti*, sed poeta aut Θεοῦ dederat πλούτου πλούτου
aut ἀγαθοῦ, olim igitur fuit: τοῦ Θεοῦ aut τοῦ ἀγαθοῦ.

Et tertium exemplum Plutus fabula praebet vs. 727:

μετὰ ταῦτα τῷ Πλούτωνι παρεκαθέζετο.

Qui dativi terminus insolitus in scholiis defenditur collatis Sophoclis duobus versibus qui hodie aliunde non sunt cogniti; priscam igitur lectionem esse apparet. Admodum tamen probabilis est Kappeynii coniectura: γέροντι. Qui si verum vidit, olim fuit:

πλούτωι
τῷ γέροντι παρεκαθέζετο.

Sic apud Euripidem οὐπὶ κώπῃ ψυχοπομπὸς . . . γέρων in codicibus factus est οὐπὶ κώπῃ ψυχοπομπὸς . . . Χάρων [1]), apud Ovidium *Rhodopeius heros* factus est *Rhodopeius Orpheus* [2]).

---

[1]) Eur. Alc. 361; corr. Bosscher.
[2]) Ov. Met. X 50; corr. Heinsius.

Et Nub. 800 huc referendus. Nam quid tandem est quod Strepsiades ibi dicit de filio suo?

V: ἔστ' ἐκ γυναικῶν εὐπτέρων καὶ Κοισύρας.
R: Κοισύρας.
A: τῶν Κοισύρας.

E mulieribus fastuosis (et) Coesyra natus. — Vitium peperit opinio eorum qui Phidippidem pro *Alcibiade* esse statuerunt; hi Coesyrae nomen — quicquid id est — etiam Nub. 48 obvium huc rettulerunt: γυναικῶν κοισύρας εὐπτέρων. Poeta autem eiusmodi quid dederat:

ἔστ' ἐκ γυναικῶν εὐπτέρων καὶ<ἐπηρμένων>.

Interpretamentum postquam textum invasit, periit genuinus trimetri exitus, ut Plut. 148, quem supra tetigimus [1]).

Simile quid perpessus est Ach. 504:

αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὐπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών,
κοὔπω ξένοι πάρεισιν.

Aperte vitiosa haec; Lenaea autem agi, ad Lenaeum spectatores sedere, a poeta eos doceri minime oportuit. Reddatur igitur interpreti illud ἐπὶ Ληναίῳ, et sic scribatur:

αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὗπερ ἀγών <ἐστι νῦν> (ἐπὶ ληναίω),
κοὔπω ξένοι πάρεισιν.

Tenue vitii indicium fortasse servat Ravennatis lectio ληναίω. Nam in ipsis poetae verbis iota „quiescens" satis fideliter scribi, in interpretum vero notulis passim omitti solet.

Etiam Thesm. 289 sic expediendus. Ubi Euripidis sodalis matronam festive imitatus a Cerere et alia precatur et haec:

πολλὰ πολλάκις μέ σοι
θύειν ἔχουσαν· εἰ δὲ μή, ἀλλὰ νῦν λαθεῖν.
καὶ τὴν θυγατέραν χοῖρον ἀνδρός μοι δοκεῖν
πλουτοῦντος κτἑ.

Sic ultimus versus scriptus in unico codice R. Corrector delevit litteram finalem vocis θυγατέραν et verbum δοκεῖν, pro quo adscripsit τυχεῖν. Apertum vitium; videtur autem vox χοῖρον

[1]) Cf. pag. 328.

deberi errori interpretum, qui *Euripidis socerum* primas in hac fabula partes agere persuasum habebant; hunc igitur filiam suam nunc dicere *Euripidis uxorem*, cui nomen fuisse *Choerilae* fama ferebat. Olim scriptum fuit:

χοιρίλην
καὶ τὴν θυγατέρ᾽ ἀνδρὸς ... μοι δὸς τυχεῖν.

Veri vestigium servat terminatio vitiosa -τέραν. Lacuna autem adverbio ταχέως videtur explenda, ut haec fuerit pristina trimetri figura:

καὶ τὴν θυγατέρ᾽ ἀνδρὸς <ταχέως> μοι δὸς τυχεῖν.

Ultimus hic commemorandus Vesp. 78, in quem non ex interpretamento sed e margine irrepsit nomen proprium.

φιλόδικος
οὔκ, ἀλλα φίλο μέν ἐστιν ἀρχὴ τοῦ κακοῦ.
ὁδὶ δὲ φησὶ Σωσίας πρὸς Δερκύλον κτἑ.

Sic V; in codicis R textum receptum est interpretamentum. Confabulantur servi Xanthias et Sosias, inter quos quomodo distribuendi sint versus dubitari potest: *Sosiae* alterum utrum olim tribuens aliquis huius nomen adscripsit, quod inter ipsius poetae verba pridem receptum — nam priscum hoc est vitium — expulit .... quid? Nescimus.

His igitur aliisque locis emblemata in medios versus irrepserunt. Plurium quae erant verborum ne reciperentur non erat periculum, nisi pro integris haberentur versibus. Cuius rei luculentum exemplum iam attulimus [1]), nam emblema Plut. 148 in codice V unum versum efficit. Non minus notabile est quod codex R praebet folii 26^{r} initio, Nub. 908:

ὡς ναυτιῶν ὑπὸ τῆς ἐκείνου ψύχρας
ἢ ἵνα ἐμέσω χολεῖ γάρ μοι ἐπιπλέει
διὰ τὰ αὐτοῦ ῥήματα.
αδι$^{\chi}$/ τυφογέρων εἶ κἀνάρμοστος κτἑ.

Ultima demum verba legentes agnoscimus poetam nostrum, et

---

[1]) Cf. pag. 328.

tamen cuncta haec pro Aristophaneis venditat librarius [1]). Nempe scholion in textum recepit somnians, et vitii originem etiamnunc oculis nostris cernimus in codice V, qui sic exarata haec praebet:

Fol. 35^{v} infra:

δότε μοι λεκά/: ὡς *δἴ αἰβοῖ τουτὶ καὶ δή·*
ναυτιῶν ὑπὸ τῆς ἐκεί *χωρεῖ τὸ κακὸν. δότε μοι λεκάνην·*
νου ψύχρας· ἢ ἵνα ἐμέσω
χολή γάρ μοι ἐπιπλέει
διὰ τὰ αὐτοῦ ῥήματα: —

Fol. 36^{r} supra:

ὁ ἃ τυφογέρων εἶ κἀνάρμοστος·

Versum 907 etiam codicis, quem R (aut is qui vitii auctor est) excripsit, paginam clausisse intellegimus; ibi igitur scholion in calce paginae aut in margine superiore sequentis additum errorem peperit.

Nec non *παρεπιγραφαὶ* longiores pro comici verbis haberi poterant. Sic Thesm. 1187* quin Scythae, non interpretis esset non dubitavit is qui talem eum versum exaravit qualis in codice R legitur.

Multa autem eiusmodi interpretamenta ita sunt expleta ut trimetrorum vel tetrametrorum speciem aliquam prae se ferrent. Et talia demum textui periculosa fuerunt; nam cetera lectores paulo acutiores fallere non poterant. Quales versiculi diu ante quam codex R scriptus est musis invitis sunt nati, itaque non est mirum in cunctis codicibus qui ad nos pervenerunt eos reperiri. Haud tamen difficulter agnoscuntur, nam vitio aliquo originem suam produnt omnes, sive metrum claudicat, sive verborum structura non satis apte decurrit, sive iocus corrumpitur addita explicatione ut vera ita molesta, sive alio indicio fraus deprehenditur.

---

[1]) Sive ipse librarius R ita erravit, sive in exemplo quod sequebatur erat idem vitium.

Aptissimum exemplum praebet Plut. 387. Qui locus in R sic est traditus:

τοὺς χρηστοὺς μόνους
ἔγωγε καὶ τοὺς δικαίους καὶ σώφρονας
ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ποιήσω.

In V est:

ἔγωγε καὶ τοὺς δεξιοὺς καὶ τοὺς σώφρονας,

in deterioribus autem versus speciem haec induerunt:

ἔγωγε καὶ τοὺς δεξιοὺς καὶ σώφρονας,

qui versus suo pretio etiamnunc posset aestimari, etiamsi periissent R et V; nam δεξιός parum huc quadrat epitheton, neque sine vitio semel ponitur articulus, qui aut bis omittendus erat: τοὺς χρηστοὺς καὶ δεξιοὺς καὶ σώφρονας, aut ter (ut in V) scribendus. Iure igitur versum damnavit Willems. Una vox ἐγωγε fortasse servanda, nam comicus haec videtur scripsisse: τοὺς χρηστοὺς ἔγωγ' | ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ποιήσω.

Olim igitur fuit:

τοὺς δικαίους. τοὺς σώφρονας
τοὺς χρηστοὺς ἔγωγ'
ἀπαρτὶ πλουτῆσαι ποιήσω.

Neque Av. 1343 sqq. aut vitium est dubium aut vitii causa. Ubi iuvenis quidam profligatus, qui Nubilocuculiam visit, laetus exclamat:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πέτεσθαι γλυκύτερον·
ἐρῶ δ' ἐγώ τι [1]) τῶν ἐν ὄρνισιν νόμων.
ὀρνιθομανῶ γὰρ καὶ πέτομαι καὶ βούλομαι
οἰκεῖν μεθ' ὑμῶν καὶ ἐπιθυμῶ τῶν νόμων.

Versum secundum (ἐρῶ — νόμων) in suo exemplari non legit scholiasta V, sed aliunde cognitum habuit, est autem nimis similis quarto (οἰκεῖν — νόμων). Praeterea non satis apte iuvenis verba cohaerent; quapropter non videtur dubium quin duo trimetri additamentis intermixtis in tres excreverint, poeta autem haec sola dederit:

---

[1]) Sic R et V, alii ἔγωγε.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πέτεσθαι γλυκύτερον·
ὀρνιθομανῶ δέ, καὶ μεθ' ὑμῶν βούλομαι
οἰκεῖν. ἐρῶ γὰρ τῶν ἐν ὄρνισιν νόμων.

Magis etiam aperta res est Thesm. 758:

[τουτὶ τὸ δέρμα τῆς ἱερείας γίγνεται.]
τί τῆς ἱερείας γίγνεται; — τουτὶ λαβέ [1]).

Ubi notulam „τουτὶ· τὸ δέρμα" in versum molestissimum excrevisse videmus omnes... postquam dixit Bakhuyzen.

Neque Ran. 1431 sqq., ubi Aeschylo haec tribuit R:

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·
[μάλιστα μὲν λέοντα μὴν πόλει τρέφειν·]
ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν,

medius versus quin spurius sit dubitari potest, cum praesertim in V desit. Trimetri speciem induit notula interpretis, qui prior pars enuntiati quomodo cum altera cohaereret paulo apertius indicare volebat: *optimum quidem est leonem in civitate non educasse, sed etc.* Ceterum non voce πόλει sed δόμοις usum esse Aeschylum Aristophaneum haud temeraria videtur suspicio. Nam *urbem* qui dicit, dicit *Alcibiadem*: imagine qui utitur „leonis catulo *intra parietes* locum non esse" dicere debet; spatium ille requirit et saltus montium, angustiarum domesticarum impatiens.

Ad horum locorum exemplum considerandi sunt sequentes [2]):

Ach. 408.

[— ἀλλ' ἐκκυκλήθητι. — ἀλλ' ἀδύνατον. — ἀλλ' ὅμως.]
— ἀλλ' ἐκκυκλήσομαι· καταβαίνειν δ' οὐ σχολή.

Originem versiculi molesti, cuius pars posterior e versu 402 est repetita, ostendit R, qui sequentis versus initio litteras σομαι verbi ἐκκυκλήσομαι in litura habet, a correctore scriptas: — θητι errore librarii scriptum olim pro vera lectione est habitum, quae lectio dein excrevit in totum trimetrum.

---

[1]) Praestat τουτί· λαβέ, quod dedit Bergk.

[2]) Taedium ne fieret, omissa in sequentibus sunt nomina eorum qui singulos versus in suspicionem vocarunt.

Ach. 802.

— τί δαί; φιβάλεως ἰσχάδας; — κοῖ κοῖ.

[— τί δαί, σῦκα τρώγοις ἂν αὐτός; κοῖ κοῖ.]

Simillima belli huius versus, quem additum praebet R, est origo. Nempe ad φιβάλεως sive „σῦκα" mente supplendum esse „τρώγοις ἄν" annotavit olim interpres aliquis, quae in trimetrum utcunque coniuncta sunt interpretamenta.

Ach. 927.

δός μοι φορυτόν, ἵν' αὐτὸν ἐνδήσας φέρω.

[ὥσπερ κέραμον, ἵνα μὴ καταγῇ φορούμενος.]

Nub. 331.

πλείστους αὖται βόσκουσι σοφιστάς,
θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχοργοκομήτας,
κυκλίων τε χορῶν ἀσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας.
[οὐδὲν δρῶντας βόσκουσ' ἀργούς, ὅτι ταύτας
μουσοποιοῦσι].

Nub. 1411.

οὐ καὶ ἐμὲ σοὶ δίκαιόν ἐστιν εὐνοεῖν ὁμοίως;

[τύπτειν, ἐπειδήπερ τοῦτ' ἐστὶν εὐνοεῖν, τὸ τύπτειν.]

Vesp. 1510.

ὁ πιννοτήρης οὗτός ἐστι τοῦ γένους.

[ὁ σμικρότατος, ὃς τὴν τραγῳδίαν ποιεῖ.]

Pac. 269.

ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν ἁλετρίβανος.

[ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὴν Ἑλλάδα.]

Pac. 271.

εὖ γ', ὦ πότνια δέσποιν' Ἀθηναία, ποιῶν
ἀπόλωλ' ἐκεῖνος καὶ ἐν δέοντι τῇ πόλει.

[ἢ πρίν γε τὸν μυττωτὸν ἡμῖν ἐγχέαι.]

Pac. 416.

ναὶ μὰ Δία. πρὸς ταῦτ', ὦ φίλ' Ἑρμῆ, ξύλλαβε,
[ἡμῖν προθύμως τήνδε καὶ ξυνέλκυσον.]
καὶ σοὶ τὰ μεγάλ' ἡμεῖς Παναθήναι' ἄξομεν
[Μυστήρι' Ἑρμῇ, Διπόλει', Ἀδώνια·]
πάσας τε τὰς ἄλλας τελετὰς τὰς τῶν θεῶν.

Pac. 742.

τοὺς δούλους παρέλυσε

τοὺς φεύγοντας καὶ ἐξαπατῶντας καὶ τυπτομένους ἐπίτηδες, [1])

[οὓς ἐξῆγον κλάοντας ἀεί, καὶ τούτους οὕνεκα τουδί,]

ἵν' ὁ σύνδουλος κτἑ.

Av. 15.

τώδ' ἔφασκε νῷν φράσειν τὸν Τηρέα.

[τὸν ἔποφ', ὃς ὄρνις ἐγένετ' ἐκ τῶν ὀρνέων.]

Thesm. 11.

A. χωρὶς γὰρ αὐτοῖν ἑκατέρου ἐστὶν ἡ φύσις.

[τοῦ μήτ' ἀκούειν μήθ' ὁρᾶν. εὖ ἴσθ' ὅτι.]

B. πῶς χωρίς;

Thesm. 36.

ἀλλ' ἐκποδὼν πτήξωμεν, ὡς ἐξέρχεταί

θεράπων τις αὐτοῦ πῦρ ἔχων καὶ μυρρίνας.

[προθυσόμενος ἔοικε τῆς ποιήσεως.]

Thesm. 241.

οἴμοι τάλας! ὕδωρ, ὕδωρ, ὦ γείτονες!

[πρὶν ἀντιλαβέσθαι πρωκτὸν τῆς φλογός.]

Ran. 12.

τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,

εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος

εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις καὶ Ἀμειψίας;

[σκεύη φέρουσ' [2]) ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ.]

Ran. 1083.

κἄτ' ἐκ τούτων ἡ πόλις ἡμῶν

ὑπογραμματέων ἀνεμεστώθη

καὶ βωμολόχων δημοπιθήκων.

[ἐξαπατώντων τὸν δῆμον ἀεί.]

Ran. 1121.

τὸ πρῶτον τῆς τραγῳδίας μέρος

πρώτιστον αὐτοῦ βασανιῶ τοῦ δεξιοῦ.

[ἀσαφὴς γὰρ ἦν ἐν τῇ φράσει τῶν πραγμάτων.]

---

[1]) In codicibus versus 743 legitur ante 742.

[2]) Sic R, σκευηφορουσ' V, alii aliter; cf. schol. et vIJzeren de Vitiis etc. p. 14—16.

Indignamur temeritatem hominum imperitorum, comici versibus verbula interpretum interserentium? Inspiciamus Nubium editionem quam curavit G. Hermann, quo lenius de huiuscemodi erroribus iudicemus et minus etiam dubitemus quin prona in eos sit mens humana. Strepsiadis ad Socratem sunt verba Nub. 1146:

ἀλλὰ τουτονὶ πρῶτον λαβέ.

Recte in V et in R adscriptum est: „θύλακον αὐτῷ ἐπιδίδωσιν ἀλφίτων" et aliis verbis in recenti codice Parisino (Supplément 135): „τὸν θύλακον, ὅς ἐστι μεστὸς ἀλφίτων." Quid autem Hermann annotavit? „Mirum est quod ... adnotatio, si una litterula „accedat, trimetrum praebeat:

„τὸν θύλακόν <γ'>, ὅσ ἐστι μεστὸς ἀλφίτων.

„Haud inficetus erit hic versus si post versum 1146 vel 1147 inseratur."

Ipsum contextum inspice et tecum perpende Hermanni illud „haud inficetus", nec dubium videbitur quin id quod acciderit Hermanno, quem honoris causa nunc nomino, multis olim accidere potuerit et fere debuerit.

Hic igitur saeculi proximi est error; unus etiam addatur, qui decimi quinti. Eccl. 310 post verba poetae

ὥσ-

περ πηλοφοροῦντεσ

in codice Monacensi 492, qui ex Ravennate est excriptus, subiectus est hic dimeter:

ὡς χειροτέχναι καὶ μισθωτοί.

Qui si etiam in R legeretur, non minore permansisset in honore — optimis enim numeris est conceptus — quam sunt illa quae supra tetigimus: μεγάλῳ τυφῷ [καὶ πρηστῆρι ξυστρέψας καὶ] ξυγγογγύλας vel: νῦν δ' [ἀνδράποδ', ἠλιθίους,] μανᾶς' et suos etiam nunc fortasse inveniret defensores.

Ut recte, ita importune verba comici interpretantium sunt emblemata quae supra attulimus. *Male* autem poetam interpretanti deberi videtur versus Thesm. 809:

ἀλλ' Εὐβούλης τῶν πέρυσιν τίς βουλευτής ἐστιν ἀμείνων;
[παραδοὺς ἑτέρῳ τὴν βουλείαν· οὐδ' αὐτὸς τοῦτό
γε φήσεις.]

interpres enim, qui temporum rationem non satis teneret, annotasse: „*τὴν γὰρ βουλείαν ἑτέροις παρέδοσαν*".

16) De vitiis in deterius mutatis.

A codicibus V et R longo intervallo distant *Γ* B alia exemplaria, quae passim vitia in deterius mutata habent a sciolis quo minus peritis eo magis audacibus. Sic Eccl. 569 in R leve est vitium:

ὥστε σέ γε μοι μαρτυρεῖν κτἑ.,

nam pro *γε* scribendum erat *τε*. In *Γ* latius serpsit morbus:

ὅστις γέ μοι μαρτυρεῖν,

errore pervulgato pro *ω* scripto *ο*. Quid autem is cui debetur recens exemplar Parisinum B? Metro consulens scilicet, sed contextus nulla habita ratione, scripsit:

ὅστις ἄν μοι μαρτυρῇ.

Eiusdem fabulae vs. 615 in R extat integer:

οὐ πάντες ἴασιν | ἐπὶ τὴν ὡραιοτάτην . . .;

Absurdum autem est quod habet *Γ*:

πάντες ἴσασιν | ἐπὶ τὴν ὡ.,

at multo absurdius quod B:

πάντες γὰρ ἴσασιν | ὅτι που ἐπὶ τὴν ὡ.

Talia cumulare nihil attinet; sufficiunt enim haec ad agnoscendam recentiorum stultitiam et temeritatem. A cuiusmodi labe immunes fere sunt V et R. Non tamen plane immunes licet dicere, nam prima quaedam mali perniciosissimi germina et supra in iis deprehendimus complura et alia possunt deprehendi. Insigne exemplum extat Ach. 347:

ἐμέλλετ' ἄρα πάντες ἀνασείειν βοῆς.

Fac periisse Ravennatem ceterosque codices hodiernos, unum autem superesse Ravennatis aliquod apographum, in quo recepta

quam corrector superscripsit littera *ν* aut *α* (nam lectu est difficilior) exaratum esset

ἐμέλλετ᾽ ἄρα πάντες ἀνασείειν βοήν vel *βοάς*,

quotusquisque lector dubitaret quin genuina esset ea lectio, solus igitur accentus particulae *ἄρα* mutandus esset? Nam illud *ἀνασείειν βοήν* speciem habet aliquam. Ne nunc quidem dubitarunt editores usque ad Dobraeum, et post Dobraeum fuere qui non dubitarent. Est tamen „plane sensu vacuum et absurdum" [1]), et unice comico dignum est id quod restituit Dobraeus:

ἐμέλλετ᾽ ἄρα πάντως ἀνήσειν τῆς βοῆς,

nam sic demum suam vim obtinet illud „*ἐμέλλετε ἄρα*", i. e. „*οὐκ ἠγόρευον*;" *probe noram.* „Ita loquitur qui ex certamine aut contentione multo labore tandem discessit superior" [2]), ut Dionysus in Ranis:

ἔμελλον ἄρα ποθ᾽ ὑμᾶς παύσειν τοῦ κοάξ.

Eodem tendit Ravennatis lectio Ach. 742, ubi puellulis minatus Acharnensis: *ναὶ τὸν Ἑρμᾶν* — ait —

εἴπερ ιξεῖτ᾽ οἴκαδις

τὰ πρῶτα πειρασεισθε τὰς λιμοῦ κακῶς.

Sic R, in signis scribendis neglegentior, neque dorismum servans. Quae postquam correcta sunt vitia, in verbis

αἴπερ ἶξεῖτ᾽ οἴκαδις

τὰ πρᾶτα πειρασεῖσθε τᾶς λιμοῦ κακῶς

gravior error agnoscitur demum, nam poeta dederat id quod restituit Ahrens: *ἄπρατα. Emtorem ni inveneritis, fame misere peribitis.* Ergo in deterius textus sensim sic ruit:

ἄπρατα, *ἃ πρᾶτα*, *τὰ πρᾶτα* (sic codd. nonnulli), *τὰ πρῶτα*, et cum eo corruptela pervenisset, exaratus est R.

Non minus aperta paradiorthosis est Lys. 645, ubi R absurde:

καταχέουσα τὸν κροκωτὸν ἄρκτος ἢ Βραυρωνίοις.

Verum praebet codex deterior *Γ*:

κατέχουσα,

---

[1]) Cobet N. L. p. 240.
[2]) Cobet l. l.

sed tam male distinctum ut vix agnoscatur; nam — quod vidit Bentley — scribendum est:

κᾆτ' ἔχουσα τὸν κροκωτὸν ἄρκτος ἢ Βραυρωνίοις.

Fraudem igitur hoc loco, ut alibi passim, librariis fecit crasis particularum καί et εἶτα, dein gliscens malum peperit monstrum quod extat in codice R.

Nunc videamus verba chori Vesp. 242 sqq.:

χθὲς οὖν Κλέων ὁ κηδεμὼν ἡμῖν ἐφεῖτ' ἐν ὥρᾳ
ἥκειν ἔχοντας ἡμερῶν ὀργὴν τριῶν πονηράν·
ἐπ' αὐτὸν ὡς καλουμένους· ὧν ἠδίκησεν· ἀλλὰ γὰρ
σπεύσωμεν ὦνδρες κτἑ.

Sic in R haec extant exarata. Quae si aliter interpunguntur deleta particula supervacanea γάρ, restat lectio fallacissima, speciem enim habet, et parum afuit quin cunctos codices invaderet. Sed in V est σχολούμενος, id quoque vitiosum, et aperte quidem vitiosum, veri tamen vestigium servans aliquod. Ipsam denique poetae manum restituens codicis V corrector superscripsit κολω:

ὡς κολωμένο<υ>ς ὧν ἠδίκησεν,

ut eum ... non *in ius vocemus*, nam dudum id factum est aut factum esse sumitur, sed *ut eum ulciscamur*.

Hic quoque apparet quid sit factum. Futurum rariusculum κολωμένους olim abiit in κολουμένους, quod vitium παραδιορθοῦντες alii scripserunt χολουμένους (sic Veneti pater vel avus), alii καλουμένους (sic Ravennatis).

17) De verborum formis, quas prisca praebebat dictio, corruptis.

In versu, quem modo tetigimus, prisca verbi forma a librariis non est agnita. Affines sunt loci, ubi recentiores verborum figurae substitutae sunt vere atticis. Ne metrum quidem satis valebat ad talia arcenda:

Ach. 279.

ἡ δ' ἀσπὶς ἐν τῷ φεψάλῳ κρεμασθήσεται.

Sic R pro κρεμήσεται.

Eq. 424.

ἀποκρυπτόμενος εἰς τὼ κωχώνα τοὺς θεοὺς ἀπώμνυον.

Sic V et R pro ἀπώμνυν.

Nub. 728.

ἐξευρητέος γὰρ νοῦς ἀποστερητικός.

Sic V et R pro ἐξευρετέος.

Av. 394.

κατορυχθησόμεθα ποῦ γῆς;

Sic V et R pro κατορυχησόμεσθα.

Thesm. 56.

καὶ κηροχυτεῖ καὶ γογγυλίζει.

Sic R pro γογγύλλει.

Nedum atticismus illis locis, ubi numeris non defenderetur, fuerit tutus.

Exemplo sit Vesp. 125:

ἐντεῦθεν οὐκέτ' αὐτὸν ἐξεφρίομεν

leg. ἐξεφρίεμεν (Nauck) i. e. ἐξεπαρῖεμεν.

Graviore cum vitio vs. 147:

ἀτὰρ οὐκ ἐσερρήσεισ γε (V) vel: ἀτὰρ οὐκ ἐρρήσεις γε (R), adscripto „οὐκ εἰσελεύσῃ μετὰ φθορᾶς", leg. ἀτὰρ οὐκέτ' ἐκφρήσω σε (Blaydes).

Multo etiam stultius versu vicino Vesp. 162:

ἴθ', ἀντιβολῶ σ', ἔκφερέ με, μὴ διαρραγῶ,

immo ἔκφρες με (Buttmann) [1]).

Lys. 975.
Thesm. 61. } ξυγγογγυλίσας leg. ξυγγογγύλας [2]).

Dualis numeri formae contractae ex -εε in -ει abeunt, et tales in lapidibus repertae extant. Veri vestigium servat R: τὼ σκέλει Av. 1254; alibi pro -ει scribi solet -η. Cuius vitii frequentis exemplum unum prolatum nunc sufficit Thesm. 282 περικαλλῆ Θεσμοφόρω pro -καλλεῖ, non temere sic scriptum, teste Photio

---

[1]) Intactae manserunt formae ἐκφρήσετε, εἰσφρήσομεν, διαφρήσετε Vesp. 156, 892 Av. 193.

[2]) Cf. pag. 323.

s. v. *ἀμφορῆ*, quod Attice dictum esse, non *ἀμφορέε*, postquam docuit, addit alterum eiusdem (ut quidem putat) rei exemplum nostrum versum.

Lys. 733.

μὴ διαπετάννυε μηδ' ἀπέλθη(ι)ς μηδαμῆ.

Sic R; ubi *Γ* recte *διαπετάννυ*, male tamen addito — ante consonam scilicet — signo elisionis.

Eccl. 729. *προχειριοῦμαι κἀξετάσω τὴν οὐσίαν* leg. *-ετῶ*.

Plut. 300. *καταδαρθέντα* leg. *-θόντα*.

Thesm. 469. *ὀνοίμην* leg. *ὀναίμην* (recte sic Suid.).

Ach. 865. *προσέπταντο* leg. *προσέπτοντο*, et sic passim *πτάμενος*, *πτάσθαι* cett. [1]).

Nub. 185 Strepsiadem rogat Socratis discipulus:

τῷ σοι δοκοῦσιν ἐοικέναι;

si fides codici R. Verum praebet V: *εἰκέναι*, ut Eccl. 1161 legitur *προσεικέναι*. Itaque suo iure Cobet Vesp. 1142 pro *ἐοικέναι* scripsit *προσεικέναι*.

Vesp. 1107. *ξυλλέγοντες γὰρ καθ' ἑσμοὺς κτἑ.* legitur in R, sed *ξυλλεγέντες*, quod e coniectura olim restituit Bentley, extat in V.

Nub. 887. *ἐγὼ δ' ἀπέσομαι* leg. *ἄπειμι* (Bentley). Pro verbi *ἀπεῖναι* forma habitum, dein temere mutatum est. Intactum evasit idem Thesm. 279, credo quod illam fabulam ludimagistri non solebant pueris interpretari.

Secunda persona eiusdem futuri corrupta est Vesp. 1340:

οὐκ ἄπεισι; ποῦ 'σθ' ἡλιαστής; ἐκποδών.

Ubi *ἄπει* (*abibis*) scribendum esse clamant metrum et verborum contextus, idque sensit Dindorf. Et apud Xenophontem idem remedium adhibendum est Comm. II 1 § 24, ubi *σκοπούμενος διέσῃ*, quod nihil est, in *δίει* est mutandum [2]) collato comici versu Ach. 845:

χλαῖναν δ' ἔχων φανὴν δίει.

---

[1] Cf. pag. 311, 1.

[2]) Sensum quidem loci, non tamen ipsum verbum quo Xenophon usus est servat codicis Parisini lectio *διάξεις*.

Ante oculos nostros sincera forma mutatur in deteriorem Ach. 236, ubi librarius R recte scripsit:

ὡς ἐγὼ βάλλων ἐκεῖνον οὐκ ἂν ἐμπλήιμην λίθοις,

sed postmodo erasum est ι et littera η in signum diphthongi ει est mutata.

Iisdem hominibus debetur quod Lys. 235 sq. est traditum:

εἰ δὲ παραβαίην, ὕδατος ἐμπλησθῆ κύλιξ,

ubi sinceram lectionem ἐμπλῇθ' ἡ κύλιξ restituit Dawes.

Similis forma coram nobis poetae obtruditur Plut. 892; ubi recte ἐμπλήμενος scriptum est a codicis R librario, ἐμπλήσμενος vero scripsit corrector, idque in V extat, dein in deterius ruens lectio corrupta in A facta est ἐμπεπλησμένος.

Quae qui secum reputat, non dubitabit quin -κλι(ν)θῆναι ubi legatur, in -κλινῆναι sit mutandum. Unus locus afferatur:

Av. 122.

ὥσπερ σισύραν ἐγκατακλιθῆναι μαλθακήν.

Sic V, recte vero R ἐγκατακλινῆναι. Ad quam lectionem sinceram [1]) olim annotatum est: „οὕτως Ἀττικοί, ὡς ἐν Νεφέλαις· 'ἀλλὰ κατακλινεὶς δευρί'. τὸ δὲ κλι[ν]θῆναι κοινόν." Ubi haec leguntur? Non in R, sed in V, in cuius textum irrepsit tamen vitiosum illud ἐγκατακλιθῆναι, item in codices ceteros. Quid quod is, qui scholia codicis V perscripsit, gravius etiam errans textui addidit litteram ν (ἐγκατακλι̣θῆναι) et lemma in scholii exaravit ἐγκατακλινθῆναι: οὕτως Ἀττικοί κτἑ. — Poteratne absurdius vel fallacius? Nempe in unum confluxerunt lectiones sincera et vitiosa [2]).

Eadem aoristi -αλλαχθῆναι pro -αλλαγῆναι scripti est ratio. Aptus ad fidem faciendam est locus Lys. 900 sqq., qui versus in R sic sunt exarati:

μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἢν μὴ διαλλαχθῆτέ γε κτἑ.
σὺ δ' ἀλλὰ κατακλίθητι μετ' ἐμοῦ διὰ χρόνου κτἑ.
φιλεῖς; τί οὖν οὐ κατεκλίνης.

---

[1]) In R aoristus etiam Ach. 981 Nub. 694 Vesp. 1208, 1210 evasit incolumis, corruptus est Vesp. 1211 Lys. 904. Cf. Cobet Hyperid.[2] p. 86 et 110—112.

[2]) Cf. sub 11).

Latius serpsit haec corruptela Vesp. 1421:

ἐγὼ μὲν οὖν αὐτῷ διαλλαχθήσομαι.

Sic V, ubi R praebet διαλεχθήσομαι [1]).

Contrario errore — est enim ὑπεραττικίζοντός τινος — Nub. 267 in R est scriptum:

μήπω [γε] μήπω γε πρὶν ἂν τουτὶ πτύξωμαι μὴ καταβραχῶ,

immo καταβρεχθῶ, quod habet V.

Dorica autem vel Ionica ubi scripsit comicus, graviora etiam institisse pericula nemo non intellegit. Prae ceteris vitiis quae haec causa in lucem protulit, mentione dignum est quod emendatione vere palmari sustulit olim Valckenaer, Lys. 173. *Maritis nostris persuadebimus mulieres Atticae*, ait Lysistrata, *ut pacem agant.* Cui Lampito Lacaena:

οὐχ ἁσ_σπουδὰσ ἔχοντι ταὶ τριήρεες.

Sic R, et in margine: „αἳ σπουδῆς." Paulo minus vitiose *Γ*: ἀσσποδᾶς, veri autem echo percipitur in altero codicis R scholio: „ἕως ἂν θαλασσοκρατῶσιν". Poeta dederat:

οὐχ ἇς πόδας κα ἔχωντι ταὶ τριήριες,

numquam quiescent Athenienses, donec currere possint eorum naves

18) De vitiis quibusdam vetustis.

Singula vitia quando sint nata, scire non possumus, neque si possemus, multum id prodesset ad poetae verba restituenda suove pretio aestimanda. Sunt tamen veluti aetates quaedam vitiorum, et aliquid nunc dicendum est de antiquissimis quibusdam erroribus, quorum nonnulli brevi post mortem ipsius comici in eius opera irrepsisse videntur.

Thesm. 80.

ἐπεὶ τρίτη 'στι, Θεσμοφορίων ἡ μέση.

---

[1]) Redeunt in codicibus διαλλαχθ- et ἀπαλλαχθ- Ach. 251 Vesp. 484, 504, 1395 Av. 940 Plut. 66; sincerae formae extant Ach. 201, 270 Pac. 293, 303, 352 Eccl. 1082, 1100 Plut. 263, 271, 316 fr. 387[3].

Hunc versum, quem supra tetigimus [1]), tam vitiosum, quam nunc praebet R, legit Callimachus teste scholio et utcunque est interpretatus.

Thesm. 162. Olim lectum esse *Ἀχαιός*, sed Aristophanem grammaticum restituisse nomen quod contextus poscit *Ἀλκαῖος*, docet scholion. Quam probam lectionem in textu habet R.

Plut. 179.

ἐρᾷ δὲ Λαΐς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου;

Vitiosa haec lectio et hodie in V R ceteris codicibus extat et olim ab Aristophane Byzantio est inventa in suis exemplaribus (vel: suo exemplari), testibus scholiis et Athenaeo 592 *d*. Emendavit autem Aristophanes vitium coniectura docta et acuta, scripsit enim *Ναΐς* [2]).

Non tam priscum mendum in R ceterisque est Eccl. 420:

ἢν δ' ἀποκλίνῃ τῇ θύρᾳ,

priscum tamen esse ipsa vitii indoles testatur. Ubi *excludendi* verbum requiri dudum viderunt critici; abiit igitur *ΑΠΟΚΛΗΙΗΙ* in *ΑΠΟΚΛΙΝΗΙ*. Quod nisi mature fieri non potuit, quoniam postea verbum *-κλῄειν* in *-κλείειν* abiit passim [3]).

Alius eroris eadem causa fuit Vesp. 113, ubi *μοχλοῖσιν ἐνδήσαντες* est in V R lingua invita: *ἐγκλῄσαντες* restituit Reisig. Litterae *ЄΓΚΛΗΙϹΑΝΤЄϹ* in *ЄΝΔΗϹΑΝΤЄϹ* abierunt.

Dignus qui conferatur est Vesp. 511, ubi in R admodum absurde *ἐν λοπάδι πεπηγμένον* dicitur id quod in V sine vitio exaratum extat participium: *ἐν λοπάδι πεπνιγμένον* sive *elixum*: *ΠЄΠΝΙΓΜЄΝΟΝ—ΠЄΠΗΓΜЄΝΟΝ*.

Mature etiam in locos complures irrepsit *ΤΙΜΑΘΩΝ* pro *ΤΙΠΑΘΩΝ*, e. g.

Ach. 826:

τί δῆ μαθὼν φαίνεις ἄνευ θρυαλλίδος;

---

[1]) Cf. pag. 310.

[2]) Cf. Proleg. Plut. p. XXIV sqq.

[3]) Cf. Cobet VL.[2] p. 159, Coll. Crit. p. 157, Zacher Aristophanesstudien I p. 137. — Sincera verbi forma *ἐγκλῄσει* extat in Timothei papyro perantiqua vs. 89.

Plut. 908:

σύ; τί μαθών; — βούλομαι.

Quod vitium, a Scaligeris Bentleiis Brunckiis Hermannis Cobetis suo pretio dudum aestimatum, apud quosdam tamen editores nescio quomodo in honore permansit usque ad hunc diem.

Litterarum *Π* et *M* similitudo etiam Thesm. 656 vitium peperit. Quo loco chori dux sic sodales cohortatur:

ἡμᾶς τοίνυν μετὰ τοῦτ' ἤδη τὰς λαμπάδας ἁψαμένας χρὴ
ξυζωσαμένας εὖ κἀνδρείως τῶν θ' ἱματίων ἀποδύσας
ζητεῖν εἴ που κἄλλος τις ἀνὴρ ἀνελήλυθε κτέ.,

sed ut apte decurrat enuntiatum, legendum est:

τῶν θ' ἱματίων ἀμελούσας.

Abiit igitur *AMЄΛθCAC* in *ΑΠΟΔΥCΑC*.

Ad litteras *Λ* et *Δ* permutatas sic pervenimus. Luculentum exemplum praebet Pac. 959:

φέρε δή, τὸ δαδίον τόδ' ἐμβάψω λαβών.

Sic V, item R, adscripto etiam iota (δᾱιδίον), et facile pro integro haberi posset versus, nisi meliora docerent scholia ipsius codicis V: „οὕτω διὰ τοῦ λ̄ ὁ τὴν κωμικὴν γράψας λέξιν ἀναγινώσκει", dein sincera haec lectio (δαλίον) defenditur collato Euripidis versu Herc. 928: „μέλλων δὲ δαλὸν χειρὶ δεξιᾷ φέρειν" etc. et additur: „διὸ καὶ οὐ γραπτέον. ὥς τινες, δᾷ, ἱκανὸν γὰρ τὸ Εὐριπίδου εἰς πίστιν." Quod scholion misere decurtatum (ut assolet) praebet R, ubi ultima sunt verba: „γρ. δὲ καὶ δαλίον."

Non minus insignis huiuscemodi error est Vesp. 1157, ubi cognatis vitiis deturpati sunt vicini. Bdelycleonis cum patre colloquium in R sic est exaratum:

— ἄγε νῦν ὑποδύου τὰς καταράτους ἐμβάδας.
τὰσδί δ' ἀνύσας ὑπόδυθι τὰς λακωνικάς.
(—) ἐγὼ γὰρ ἂν τλαίην ὑποδύσασθαί ποτε
ἐχθρῶν παρ' ἀνδρῶν δυσμενῆ καττύματα·

et paucis intermissis:

— ἄνυσόν ποθ' ὑποδυσάμενος κτέ.

Quas sordes novo vitio (κατατράτους) auctas praebet V. Neque ὑπολύεσθαι verbum, neque quod ei oppositum est ὑποδεῖσθαι

incolume hic evasit, sed ad ὑποδύεσθαι, quod hinc alienum, omnia sunt relata [1]). Vera lectio est:

ΒΔ. ἄγε νυν, ὑπολύου τὰς καταράτους ἐμβάδας,
ὑποδοῦ δ' ἀνύσας τι τάσδε τὰς λακωνικάς.
ΦΙ. ἐγὼ γὰρ ἂν τλαίην ὑποδήσασθαί ποτε
ἐχθρῶν παρ' ἀνδρῶν δυσμενῆ καττύματα; κτἑ.
ΒΔ. ἄνυσόν ποθ' ὑποδησάμενος κτἑ.

Litterarum *Λ* et *Δ* permutatarum lepidum exemplum extat Eccl. 293: χάριτιμια ἢ. Sic R, item codices recentiores et editiones typographae usque ad Bentleium. Is tandem monstrum procuravit: scripsit Χαριτιμίδη.

Litterarum *Φ* et *Ψ* similitudo errorum causa extitit e. g.:

Vesp. 575.

δεύτερον αὖ σου τουτὶ γράψομαι, τὴν τοῦ πλούτου καταχήνην.

Lys. 676.

ἣν δ' ἐφ' ἱππικὴν τράπωνται, διαγράψω τοὺς ἱππέας.

Sic R, idem Vesparum loco V, Lysistratae omnes. Utrobique praesens tempus cum numeri poscunt tum contextus.

Nunc loci nonnulli, ubi signum *numerale* erroris causa extitit, sunt commemorandi. Cuiusmodi vitia apud pedestres scriptores multa inventa sunt, e. g.:

Herod. I 59 ἄνδρας τούτους leg. τ̄ (τριηκοσίους).
V 85 τῶν ἀστῶν τούτους leg. τ̄ (τριηκοσίους).
IV 153 ἀπὸ τῶν χώρων ἁπάντων ἑπτὰ ἐόντων ἀνδρασ̄ <σ̄, i. e. διηκοσίους>.

Thuc. I 100 § 2 ναυσὶ μὲν <ν̄?> ἐπὶ Θάσον πλεύσαντες.
IV 8 § 9 διεβίβαζον ἐς τὴν νῆσον τοὺς ὁπλίτας leg. τ̄ ὁπλίτας.
IV 46 § 1 ἀπῆραν ἐς τὴν Σικελίαν <μ̄> ναυσίν.

Xen. Hipp. 2 § 2 διῃρημέναι <ῑ> φυλαί.

[1]) Simili errore apud Homerum ε 349 pro ἀπολυσάμενος pars codicum habet ἀποδυσάμενος.

Sed etiam apud poetas hic illic deprehenduntur. Sic versum Sophili comici:

τὸ πρᾶγμα χάριεν· οὐχὶ $\bar{\beta}$
κυάθους ἀνεβόησέν τις ὑπόχει κτέ.

certa emendatione restituit Cobet:

τὸ πρᾶγμα χάριεν· „οὐχὶ δώδεκα
κυάθους“ ἀνεβόησέν τις „ὑποχεῖς;“ κτέ.

Abierat *OYXIIB* in *OYXIB* [1]).

Itaque etiam apud Aristophanem numeralia signis indicata esse nonnumquam et errandi occasionem praebuisse quivis suspicetur; quae confirmatur suspicio Ach. 1055, ubi lectionis varietas antiqua χιλίων (vel χιλιῶν) δραχμῶν et μυρίων δραχμῶν nisi e signo *M* male intellecto nasci vix potuit.

Sic in scholiis V ad Vesp. 718 legitur „μεδίμνων $\bar{\nu}$“, quod numerale omittunt alii. Et insigne exemplum vitiorum quae haec causa peperit in ipsis scholiis V extat Pac. 348: „ἀτιμωθεὶς δὲ τῷ μὴ δύνασθαι τὰς ῥάμνας τῆς εὐθύνης ἀποδοῦναι“ et mox: „τῶν ῥάμνων τοῦ διονυσίου“. Leg. τὰς $\bar{\rho}$ μνᾶς et τῶν $\bar{\rho}$ μνῶν [2]).

Iam perpendamus Nubium versum 1065. Ubi in codicibus leguntur haec:

Ὑπέρβολος δ' οὐκ τῶν λύχνων πλεῖν ἢ τάλαντα πολλὰ
εἵληφε διὰ πονηρίαν,

sed necessarium est numerale. Poeta dederat

πλεῖν ἢ ἑκατὸν τάλαντα,

ΠΛΕΙΝΗΗΤΑΛΑΝΤΑ. Quodsi satis credibile non videatur πολλὰ ad explendum tetrametrum suppletum esse a sciolo, fortasse videbitur inspecto Livio XXIII 13: *fit senatusconsultum ut Hannibali quatuor Numidarum milia in supplementum mitterentur et quadraginta elephanti et argenti multa talenta.* — Mirum profecto senatusconsultum! Sed dudum verum est restitutum: *et argenti talenta MD.*

---

[1]) Sophil. fr. 4 (apud Athen. 640 *d*). Sic alibi apud Athenaeum sine vitio legitur: τῶν ιβ θεῶν (642 *a*, Amphid. fr. 9).

[2]) Correxit Bergk; item Cobet (Brieven aan Geel p. 369).

Similis error corrigendus videtur — videtur, inquam, nam non plane certa est res — Eq. 435:

οὗτοι μὰ τὴν Δήμητρα καταπροίξει τάλαντα $\overline{\Pi}$ (πέντε)
κλέψας Ἀθηναίων.

Ubi item τάλαντα πολλά in versus fine praebent codices V [1]) et R et ceteri.

19) De lacunis male olim expletis.

Etiam lacunae quaedam male expletae sunt. Quantivis pretii huiuscemodi errores indagantibus est Pacis versus 754, qui ex ipso poeta potest corrigi. Quo loco quae leguntur, etiam in Vespis extant, integra autem [2]) sunt quae in Vespis leguntur, interpolata quae in Pace. *Poeta noster* — chori dux ait — *artem suam altius evexit et novus Hercules*

τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει,
διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δεινὰς καὶ ἀπειλὰς βορβοροθύμους,
καὶ πρῶτον μὲν μάχομαι πάντων αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι —

quid hoc? qui fit ut ipse repente Aristophanes suo nomine verba facere videatur? Quod respondeatur Vesparum versu parallelo praeberi intellexit Hamaker. Interpolavit manus imperita priorem versus partem, comicus dederat id quod est Vesp. l. l.:

θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι.

Qui error aliorum fuit ferax; nam prima persona etiam in sequentes dein versus irrepsit complures, qui facile etiamnunc e coniectura possunt corrigi (759 sqq.):

τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὐ κατέδεισ', ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων
ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων. ὧν οὕνεκα νυνὶ
ἀποδοῦναί μοι τὴν χάριν ὑμᾶς εἰκὸς καὶ μνήμονας εἶναι.
καὶ γὰρ πρότερον πράξας κατὰ νοῦν οὐχὶ παλαίστρας περινοστῶν
παῖδας ἐπείρων, ἀλλ' ἀράμενος τὴν σκευὴν εὐθὺς ἐχώρουν κτέ.

---

[1]) In V etiam manus 1ª dedit τάλαντα πολλά, sed cum latius haec verba excurrissent in marginem scholiis destinatum, corrector ea delevit, dein artioribus litteris — ut alibi passim — eadem scripsit.

[2]) Mittere nunc licet versus Vesp. 1035 = Pac. 758 verba non recte ordinata.

Scribamus — partim praeeunte Bentleio — *ἀντεῖχεν, ἀνταποδοῦναι, περιήειν | παῖδας πειρῶν, ἐχώρει*, et restituta erit manus poetae. Fraudem et *κατέδεισ(α)* fecit pro *κατέδεισ(ε)* acceptum et quod sequitur *πνῖγος*, in quo revera prima persona utitur coryphaeus perinde atque *ἐν τῷ πνίγει* Acharnensium fabulae (Ach. 659—664).

Etiam Pac. 219 male expleta olim est lacuna. *De pace cum agebant Lacones*, — Mercurius ait, — *vos clamare solebatis*:

ἐξαπατώμεθα
νὴ τὴν Ἀθηνᾶν! νὴ Δί'! οὐχὶ πειστέον.
ἥξουσι καὖθις, ἢν ἔχωμεν τὴν πόλιν.

E scholiis discimus, olim dubitatum esse utrum *τὴν πόλιν* an *τὴν Πύλον* dedisset poeta; sed *Pyli* eiusmodi mentio non minus hic molesta quam urbis *Athenarum*. Dici poterat sane: *καὶ γὰρ ἔχομεν τὴν Πύλον* vel eiusmodi quid; sed nomina certa ab hoc loco videntur aliena. Comicus fortasse dedit:

ἥξουσι καὖθις, ἢν <μεθῶμεν τήμερον>.

Finem faciamus indicata lacuna exigua, quae olim non est agnita Av. 546 sq.:

ἀναθεὶς ἄρ' ἐγώ σοι
τὰ νεοττία καὶ ἐμαυτὸν οἰκήσω.

Ubi pro verbo inepto *οἰκήσω* legendum esse *οὐκ <ἀφ>ήσω* testantur numeri et contextus: *ergo me meosque tibi credo nec missum te faciam.*

INDEX RERUM

QUAE IN COMMENTARIIS TANGUNTUR

ET

NOMINUM.

INDEX RERUM

QUAE IN COMMENTARIIS TANGUNTUR

ET

NOMINUM.

Singulae fabulae sic sunt indicatae:

Ach. = *Acharnenses.*
Eq. = *Equites.*
N. = *Nubes.*
V. = *Vespae.*
Pa. = *Pax.*
Av. = *Aves.*
L. = *Lysistrata.*
Th. = *Thesmophoriazusae.*
R. = *Ranae.*
Ec. = *Ecclesiazusae.*
Pl. = *Plutus.*

ἀβέλτερος N. 1201 R. 989.
ἀβίωτος Pl. 197.
ἄβυσσος L. 174.
ἀγαθέ (ὦ...) deprecantis vel obicientis vox Th. 1077.
ἀγαθῇ τύχῃ Av. 435.
ἀγαθόν τι πράττειν Pa. 215.
ἀγαθὸς δαίμων V. 525.
Ἀγάθων poeta tragicus Th. proleg. p. VIII sq. R. 83.
ἀγάλλειν Th. 128.
ἄγαλμα N. 995 V. 315.
Ἀγαμέμνων Av. 509.
— Aeschyli R. 1276, 1285.
ἄγαν substantivis additum N. 1120.
ἀγανόφρων Av. 1321.
ἀγαπητός L. 702.
ἄγε ... ὅπως N. 489.
ἄγειν καὶ φέρειν N. 241.
ἀγένειος Eq. 1373.
ἀγεννής (?) N. 974.
ἀγέχορος L. 1308.
Ἀγήνωρ Cadmi p. R. 1226.
ἀγίζειν Pl. 681.
ἀγκάλαι R. 704.
Ἀγκυλίων V. 1397.
ἀγκυλοῦν Av. 1180.
ἀγκυλοχήλης (epic.) Eq. 197.
ἀγκυρίζειν in lucta Eq. 262.
Ἄγλαυρος Th. 533.
ἄγλις V. 680.
ἀγορά iuvenibus vitanda N. 991.
ἀγοραῖος R. 1015.
Ἀγοραῖος Iuppiter Eq. 410.
— Mercurius Eq. 297.

Ἀγοράκριτος nomen disertum Eq. 1257.
ἀγορανόμοι Ach. 723.
ἀγορεύειν N. 1456.
ἀγορητής (epic.) N. 1057.
ἀγρεῖος N. 655.
ἀγριοποιός R. 837.
ἄγριος N. 349.
— transl. Th. 455.
ἀγριοῦν R. 898.
ἀγροικότερος Ach. 674.
Ἀγροτέρα Diana Eq. 660 L. 1262 Th. 116.
Ἀγυιεύς V. 875.
Ἀγύρριος Eq. 969 (?) R. 367 (?) Ec. 102 Pl. 176.
ἀγχιστεία Av. 1661.
ἀγχόνη (*ταῦτα οὐκ . . .*;) Ach. 125.
ἀγών in comoedia V. 533 R. 884.
Ἀδείμαντος R. 1513.
ἄδειν φρουράς (?) N. 721.
ἀδεκάτευτος Eq. 301.
Ἀδμήτου λόγος V. 1238.
ἄδολος Av. 633.
Ἀδώνια Pa. 420.
Ἀδωνιασμός L. 389.
Ἀδώνιδος κῆποι N. 234.
Ἄδωνιν κόπτεσθαι L. 396.
ἀεὶ δι' ἡμέρας N. 1053.
— *πως* R. 414.
ἀείνως R. 146.
ἀέναος N. 275.
ἀέρα (*πρὸς τὸν . . .*) N. 198.
ἀεροβατεῖν N. 225.
ἀεροδόνητος Av. 1183.
ἀερονηχής N. 337.
ἀετός templorum Av. 1110.
ἀζήμιος R. 406.
ἀηδών flebilis Av. 208.
Ἀήρ N. 264.
ἀθαλάττευτος R. 204.
Ἀθάμας N. 257.
Ἀθάνα N. 602.
ἀθάνατος R. 629.
ἀθάρη Eq. 1026.
Ἀθηναία ἀρχηγέτις L. 644.
— *Γοργολόφα* Eq. 1181.
— *Πολιάς* sive *πολιοῦχος* Eq. 581 N. 602 Av. 828.
Ἀθηνᾶν (*νὴ τὴν . . .*) Pa. 218.
Ἀθῆναι ἰοστέφανοι (poet.) Eq. 1323.
— *λιπαραί* (poet.) Ach. 636—640 N. 300.
Ἀθηναῖοι αὐτόχθονες N. 984.
— *δύσβουλοι* N. 587.
— *φιλόδικοι* N. 208.
— in temporum rationibus errantes N. 615.
— lunam sequentes in computando tempore N. 626.
Ἀθμονεύς Pa. 190.
ἀθύρωτος R. 838.
ἀθῷος N. 1413.
Αἰακός apud tragicos R. 464.
Αἴας R. 1294.
Αἰγαῖος R. 665.
Αἰγείδης Eq. 1067.
Αἶγες Eupolidis R. 308.
Αἴγινα Ach. 653.
αἰγυπτιάζειν de Aegypto loqui Th. 922.

Αἰγύπτιοι Pl. 178.
— baiuli Av. 1133 R. 1406.
Αἴγυπτος N. 1130.
— rex R. 1206.
Ἅιδης V. 763 Th. 1041 R. 69, 118, 172, 1333.
Ἅιδου κυνῆ Ach. 390 N. 349.
ἀΐδρυτος L. 809.
αἰθεροδρόμος Av. 1393.
αἰθήρ vitae principium Th. 15.
αἰθρίας (gen. temporis) N. 371.
Αἴθων Achaei drama satyricum R. 184.
αἰκάλλειν τινά Eq. 48.
αἷμα ταυρεῖον pro veneno habitum Eq. 83 sq.
αἱματοπώτης Eq. 208.
αἱματοσταγής R. 471.
αἱμύλος Eq. 687.
αἰνιγμός R. 61.
Αἰξωνεύς V. 895.
αἰόλα nox Th. 1055.
αἰόλος R. 248.
Αἴολος Euripidis N. 1371 Pa. 114, 119 Th. 177 R. 850, 1081, 1474.
αἶρε porrige mihi Av. 850 R. 498.
αἴρειν τινά Pl. 71.
— transl. *laudibus extollere* R. 377.
αἱρεῖν παρανοίας N. 845.
— de piscatoribus dictum Eq. 867.
— in iure V. 1207.
αἴρεσθαι suscipere (bellum) Ach. 913.
— *exultare* L. 1319.
αἴσθησιν παρέχεσθαι Th. 147.
Αἴσιμος Eq. 208.
Αἰσχίνης ventosus homo V. 325 Av. 823.
— Pa. 1154 (?).
Αἰσχύλος Ach. 10.
Αἰσχύλου Agamemnon R. 1276, 1285.
— *Choëphori* R. 1126.
— *Cycnus* R. 963.
— *Glaucus* R. 1403.
— *Iphigenia* (?) R. 1270.
— *Lycurgia* Th. 135.
— *Myrmidones* R. 932, 992, 1041, 1264, 1400 Ec. 392.
— *Niobe* R. 912, 1392.
— *Orestia* R. 1124.
— *Persae* R. 1026.
— *Philoctetes* R. 1383.
— *Phryges* R. 912.
— *Psychagogi* R. 1266.
— *Sacerdotes* R. 1273.
— *Salaminiae* R. 1041.
— *Septem c. Th.* R. 1021.
— *Sphinx* R. 1287.
— *Telephus* (?) R. 1270.
— *Thressae* R. 1294.
— *Xantriae* R. 1344.
— *Memnon* R. 963.
Αἰσώπου fabulae V. 566 Pa. 129.
αἰτεῖν χορόν R. 94.
αἰτιᾶσθαι ἑαυτόν R. 630.
αἰτίζειν (epic.) Pa. 120.
Αἴτνα Av. 926.
Αἰτναῖα iumenta Pa. 73.
Αἰτωλοί Eq. 79.
Ἀκαδήμεια N. 1005.

ἀκαλήφη Eq. 422 V. 884.
— transl. L. 549.
ἀκαρής N. 496 V. 92.
ἀκατάβλητος N. 1229.
ἀκάτειον (?) L. 64.
ἄκατος Eq. 762.
Ἀκέστωρ V. 1221.
ἀκίνητος R. 899.
ἀκμή Pl. 256.
ἀκολασταίνειν Av. 1227.
ἀκόρητος V. 44.
ἀκρατίζεσθαι Pl. 295.
ἀκράχολος Eq. 41.
ἄκων *imprudens* R. 1523.
ἀλάβαστος L. 947.
ἀλαζονεία R. 919.
ἀλαζονεύεσθαι R. 280.
ἀλαζών R. 909.
ἁλᾶσθαι cum gen. Av. 942.
ἀλγεῖν τὰς γνάθους Pa. 237.
ἀλεαίνειν *concalefieri* Ec. 540.
ἀλεκτρύαινα N. 666.
ἀλεκτρυών epicoenum N. 666.
Ἀλεξάνδρου δῶρα Av. 1104.
ἀλεξίκακος N. 1372 V. 1043.
ἅλες Θυμιτίδες (megar., att. Θυμῖται) Ach. 772.
— χόνδροι Ach. 521.
ἀλετρίβανος Pa. 259.
ἀλετρίδες L. 643.
ἀληθῶς (ὡς . . .) Ach. 143.
ἁλιμέδων Th. 323.
Ἁλιμοῦς Av. 496.
ἁλινδήθρα R. 904.
ἁλιπερνής (poet.) Pa. 603.
ἁλίσκεσθαι ambigue dictum Ach. 699 sq.
ἀλιτήριος Eq. 445.
Ἁλκαῖος Th. 161.
Ἄλκηστις Euripidis Ach. 893 Eq. 1250 N. 1415 V. 751 Av. 675 L. 605 Th. 194.
Ἀλκιβιάδης R. 1422, 1431.
— blaesus N. 862 V. 44.
— equos alit N. 15.
— Megaclis nepos N. 46.
— Olympia vincit N. 69.
ἄλκιμοι olim Milesii Pl. 1002.
Ἀλκμέων Euripidis Eq. 1302.
Ἀλκμεωνίδαι N. 46.
— ἀλιτήριοι Eq. 445.
Ἀλκμήνη Av. 558 R. 531, 582.
— Euripidis R. 93.
ἀλκυών Av. 251.
ἀλκυωνίδες ἡμέραι Av. 1594.
ἄλλα (τὰ μὲν . . .) in rogationibus ad populum Th. 444.
ἀλλά *saltem* N. 1364.
— ἤ *nisi* R. 928.
— ὅμως elliptice dictum Ach. 402.
— οὖν N. 985.
— οὐκέτ', ἀλλά Ach. 471.
ἄλλο γ' ἤ (τί δ' . . .) N. 1447.
ἀλλότριον θέρος ἀμᾶν Eq. 392.
ἄλλως *frustra* N. 1203.
— (οὐκ . . .) λέγω R. 1140.
ἅλμη V. 331.
ἁλοᾶν R. 149.
— transl. *vexare* Th. 2.
ἁλοκίζειν V. 850.

Ἀλόπη Av. 559.
ἄλοπος L. 736.
ἀλουργίς Eq. 967.
ἅλυκὸς Neptunus L. 403.
Ἀλφειὸν πνεῖν Av. 1121.
ἄλφιτα (τὰ . . .) *victus quotidianus* N. 176.
ἀλφιταμοιβός N. 640.
ἀλφιτοπῶλις στοά Ach. 548.
ἀλώπηξ transl. L. 1269.
Ἀμαζόνες L. 678.
ἀμαλδύνειν (epic.) Pa. 380.
ἀμάμαξυς V. 326.
ἀμᾶν θέρος ἀλλότριον Eq. 392.
ἀμαξίς N. 864.
ἀμαξουργός Eq. 464.
ἀμαρτάνειν verbum amatorium N. 1076.
ἀμαρτωλός Th. 1111.
